COLAI

PERA.

NUS V.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani

Henrici Nicolai

1. Theologiæ Epitome.
2. Exercitatio de Methodo Trinitatis.
2.b. Rotgeri zum Bergen Epistolium ad Henricum Nicolai.
3. Exerc. de Medio Religioso et Theologico.
4. Ex. de Conciliatione Enunciatorum.
5. Miscella Theologica.
6. Ex. de non liquendo.
7. Irenicum defensum et explicatum.
8. Irenicum defensum et explicatum continuatum.
9. Exercitatio de Ahasvero Esthera.
10. Exerc. de Symbolo Athanasii.
11. Erklärung der Schrifft im Prediger Salomo IV. 4.
12. Tractatus de Pane, Editio emenda.
13. Protestatio super nova Editione Tractatus de Pane.
14. Georgii Rheti Viduae Reprotestatio antecedenti Protestationi opposita)
15. Protestatio defensa.
16. Oratio de Philosophiae studio cum Theologia conjungendo, praemisso Programmate.
17. Cursus Philosophicus.
18. Exercitatio de Subjecto et Adjuncto.
19. Exerc. de quotidiana Telluris revolutione.
20. Ex. de Astrologiae Veritate, licitaque apud Christianos ratione.
21. Tr. de Modis praedicandi.
22. Tr. de Comparativarum Enunciationum expositione.
23. Rotgeri zum Bergen Res sacra Amicus sive Epistolium ad Henricum Nicolai.
24. Godofr. Zameli Hymenaei Tumulus.

D. O. M. A.

DE

METHODO TRINITATIS,

EXERCITATIO PECULIARIS.

Delineationem modi exhibens, quo Controversia de Trinitate inter Christianos commodiùs & compendiosiùs pertractetur, ut faciliùs finem obtineat, superflua, aut nimiæ subtilitates resecentur, cunctaq; ad Apostolicam antiquitatem & simplicitatem reducantur.

AUTHORE

HENRICO NICOLAI,
Theol. & Phil. Professore.

ELBINGÆ.
Literis CORELLIANIS.
Anno à partu Virginis Matris,
M. DC. LIV.

NOBILI AC MAXIMÈ CONSPICUO VIRO,

DN. CAROLO RAMSÆO,

Civi Elbingensi primario,

Amico singulari,

S. Et omnigenam Prosperitatem.

ÆGrè forsan accipias, VIR AMICISSIME, non inter primos Scripti alloquio compellatum, quem præcipuum caritate hoc loco profitear. Ad tuum judicium meam sententiam adjicere licebit. Multa excusata parem, nisi cum amico res habeatur. Atticum pluribus postpositum negavit aliquando Orator *excusandum, quòd in amico opus non esse diceret. Id olim præstitum, imitandi exemplum posteris liquisse potuit. Neq; prolixiùs præfabor, quòd eadem familiaritas non admittat. Brevibus* Opusculum *præsens, Nominis tui favori destinatum, patrocinio ejusdem commendare cupio. Argumenti, quod tradit, dignitas ea, ut nulla major.* DEum *& Trinitatem seculis disceptatam in curam assumpsit. Tractatio ipsa non exigua, si animi magis, quàm brevitatis æstimatione, censeatur. Aliquid etiam reponi æquum fuit, si qui in Arianismos despument. Silere ultrà non securum, Amyclas silentio convolvi, aut perdi, indecorum fuit. Innoxiæ Veritati, cum queas, suppetias negare, in* DEum *ipsum injurium est. Cum vocem in causâ* DEI *magis, quàm silentium, conductam esse deceat. Eam stilo hic expressam sub* Nomine tuo *in publicum exponi admittes, ac in reliquum amplâ* DEI *benedictione in novato conjugio feliciter decurres. Qui beata Paschalia per uberes annos, & recursum in eadem festa numerosum conciliet. Elbingæ. 12. Calend. Apriles. Anno 1654.*

A. T. *Addictissimus,*

Henr. Nicolai,

Prof. P.

In

CLARISSIMI, EXCELLENTISSIMI
VIRI,

DN. HENRICI NICOLAI,
Theologi & Philoſophi celeberrimi, de Methodo Trinitatis Tractatum.

DE Te non timidè perſæpè Calumnia ſparſit,
Quòd Tu Photini dogmata tetra colas.
Talia qui fantur, digni, quî fuſte volemo
Ungantur: vero cum abſona cuncta ſient.
Hoc ſcribtum præſens quisquis pervolverit aptè,
Mox aliter de Te ſenſerit ille mihi.
Perge pio calamo Pietatis pandere regna
Latiùs: Æternùm hinc Te DEUS ipſe beet.
Ex voto felix floccati Neſtoris annos
Vivas, ac Bergi ſis memor usq; Tui.

Tuiſſimus omni nexu, omni affectu,

Rotgerus zum Bergen,
Regius Secretarius.

Lectori erudito & Christiano S.

MOta ab Adversario quæstio, *Christiane Lector*, ad disceptandum solet esse occasio. *Controversia de Trinitate* à seculis 15. inter Christianos Veterum & recentiorum ingenia exercuit & fatigavit. Vix à præcipitio via fuit, quæ securum præstiterit. Excessu & defectu veritatem convulsam putant. Mirum fermè fit, per tricosa rixosaq; *Scholasticorum* ingenia quidquam sani supermansisse. Prisca Apostolica fides simplicitate processit: Rationis molimina destruxit magis, quàm diduxit, 2. *Cor.* 10. Quæ ratio nequit solvere, fides irridere debet in iis, quæ ex DEI authoritate credimus, ex hodiernis scribit *Alstedius in parat. Theol. p.* 384. Omnium, quæ objiciuntur, promptissimam solutionem fidem vocat *Iustinus*, quæ expressâ voce divinâ nititur. In Apostolis primisq; Patribus manifestum, nostris seculis salubriter reduci mereatur. Ad antiquam fidem & simplicitatem redeundum: Quid tribus primis seculis in eâ creditum, inquiri, sistiq; alicubi doceri consultum sit. *Photinistæ* ipsi eò provocant, & sequi ac fundamenta eruere, utilius esse queat. Tricæ & curiositates si ingruant, prisco exemplo resecari satius sit, quàm in infinitum texi. Non fides, tricari, sed credere & acquiescere. Multa Scholis, eruditis, interdùm hæreticis, relinquenda, certum est. Hi quæstiones faciunt, & hæ hæreticos fecerunt, alicubi *Tertullianus*. Alienè mysticorum modi disceptantur, quorum proprius modus, non liquere. Sed rixandi veteres, pessimè ad simplicitatem aguntur, Cum disceptare malint, quàm vivere. Verùm ad fidem compendiis tutiùs proceditur, quàm Voluminibus. Et relicta Apostolis Trinitatis

fides,

fides, sed tricamenta Scholarum non ita relicta. Hoc de *Methodo* cogitare fecit, quà antiquas vias securiùs in laborioso commate relegere detur. Aliis alias vias insistere, per me facultas maneto. Liber circus literarum est, in quo cuivis observare liberum, quod licet. Neq; ego tenendas negandasvè sententias obduco. Sed probare omnia, solidioribus & tutioribus niti, commoneo. Tutiora legere visum, quæ difficultates rumpant, non nectant. Si universa hic non diffindo, aliis etiam evenisse cogitetur. Nec *ad methodi rationem* quadrare deprehenditur. *Poëtæ* istud subeat: Dissentis, equidem nihil hic diffindere possum. *Vel* verborum copia destituit: *Vel* sentienda ingenii exilitate, rei difficultate, sentire satis nequimus. *Æquum, in magno opere, si quis infra materiæ dignitatem subsidat*, non impotentiam dicentis damnari, sed veniam potiùs concedi, reputatâ rei magnitudine, *Isidorus L. 2. ep. 247.* monet. Officium tamen meum, in tàm arduo commate præstitum, ipsâ voluntate susceptioneq; probandum, *Christiani erit*, Christianè accipere, interpretari, ponderare. Judicio spatium, Consilio tempus ministrare. Non idem Orationis finis & calami, qui cursus est. Non palmam antevertens, sed meliore momento constituens meretur. Vtcunq; festines, aliquid moræ lecturo, velut Æneæ Chartagine abituro, ingerimus. Præcipuè *sequentibus* occupari Lectorem exoptem. *Non* priùs censere, quàm intelligere. *Non* ad hæreses statim provolare. Inter errare & hæresin fovere, ingens discrimen attendere. *Ad primam* & antiquissimam fidem subindè respectare. *Academiæ* Cœli aliquid committere. Ita securiùs in fluctibus, feliciùs in negotio promovebitur. Ab annis aliquot occasio jam præsentibus ministra-

ta. Textum Adverſarii dare nihil attinet. *Duo argumenta* pro Trinitate *ex Matth.* 28. *Et Rom.* 9. exhibuit, quæ ſuo modo ſolvere annixus eſt. Inferendi robur è *t. 10. 14. aliisq;*, commodiùs haurias. Arianiſmos hic crepari, ad rem non quadrat. *Primi Patres* pleraq; ſenſerunt, cum nec nomen, nec dogma *Arii* in Orbe auditum. Omnia aliena obtinuerunt. Et faciliùs ſit, hæreſes objicere, quàm revincere. Quæ ſæpè crimen eorum eſt, qui crimine vacant. Nec primus aut noviſſimus ego, in quo occupetur. Sed notam ejus qui diſſimulat, eum *Ruffinus* Chriſtianum eſſe negavit. Succeſſu ſeculorum varia & tricoſa fuerunt, quæ de Trinitate quæſita. Velut in Commentationem thema datum, non DEI cultum. Omnia pervagari ſibi humana temeritas permiſit. Ex eo calumniæ latratibus in omnem partem magis obnoxia. Non tamen omnes tricæ ad fidem pertinent. Et primis Chriſtianiſmi temporibus thema admoveri, ſecurius. Aliorum conatus in *Arium, Photinum, Socinum, & ſequaces* arietantium, laudem habeant, quamcumq; mereantur. Sæpiùs plures duces video, quàm milites, olim *Phocion* dicebat. Nec omnes rationis vanitates hic ſolvere aggredior. Modus, quo ſecandæ tricæ, non texendæ, volvendæve, oſtenditur. Pro noſtrâ hypotheſi parum univerſæ proficient. DEUS autem veri antiquam veritatem, puritatem, ſimplicitatem, noſtris temporibus reducere velit. Id animi deſtinatio eſt. Effectus optati in Cœleſtium manu conſiſtit. DEI cuſtodiâ tutus interim, *Lector Chriſtiane* feliciter ages, ac univerſa prudenter penſabis. Elbingæ. 10. Calend. Apriles. Anno 1654.

Adjectanea.

IN Epitome Theologiæ *quædam*, Lector *adjici debuerunt, quæ non ob angustiam spatii licuit. Hic aliqua subjuncta habes.* Ad L. 1. C. 3. t. 2. adde, *Si librum* Estheræ *excipias, ubi nulla Dei mentio in Hebræo, etsi in* Lutheri *versione* C. 7. v. 4. *occurrat. De quo plura* Tr. d. Assvero Estheræ t. 32. *dixi.* Ad t. 3. *adde:* Vox DEus dupliciter *in sacris repræsentatur.* 1. Vt *absolutè summum & inoriginatum notet, à quo omnia in cœlo & terrâ, etiam ipse Filius & Sp. DEI. Sic DEus est solus Pater in divinis.* 2. Vt *Spiritum increatum & omnipotentem notet, à quo omnia creata in cœlo & terra, Sic Deus est Pater cum processionibus suis, Filio & Sp. S. Vt plenius hoc* Tract. t. 32. 46. 47. *deductum. Ad* C. 8. t. 3. *adde,* Series Creationis *hoc versu exhibetur:* Lux, Cœlum, tellus, post sidera, bruta, homo tandem. *Vel:* Lux, Cœlum, tellus, sidus, piscis, brutum, homoq;. Ad L. 2. C. 10. t. 6. *lege: Anno 70. Synodus Sendomiriensis* in Poloniâ & Lithvaniâ. *Poloniæ vox omissa fuit.*

In hoc Tractatu ad t. 2. *adde, Sic* Schlichting c. Meisn. de Trin. p. 63. *Schimbergium & Sommerum pro nostris non agnoscimus.* Fr. Davidis *rejicit* præfatio Crellii d. Caus. mort. Christ. Socinus c. Wieck. C. 2. Eundem & Budneum *negat è suis esse* Nicolaides c. Borcov. d. Eccles. C. 8. p. 81. Sommerum Smalcius *rejicit* d. 10. c. Frantz. s. 6. Et p. 2. d. 2. s. 9. *Sed illi, qui scripta Photiniana circ. an.* 1582. *ediderunt, primas illi dederunt, quas antea habuit* Servetus. *Vt* Tummius Impie. Phot. l. d. Script. t. 8. *notat. Servetum* Nicolaides c. l. C. 2. *pro suis agnoscit. Sed* Socinus c. Wieck. C. 1. Bebelno c. Keck. p. 1. C. 5. *renuunt.* Glirium, Sommerum, Neuserum, *non curat* Smalcius, *&*

Ecclesiam

Ecclesiam eorum indignos societate suâ eos censere ait, d. 9. c. Fran. f. 3. *De* Eneidino *similiter quidam fluctuant*: Smalcius *ejus interpretationes ut unius habet, malè cæteris Photinianis tribui, ejusq; defensionem ob certas causas potuisse non suscipere ait*, d. I. c. Franc. t. 103. *Pluribus alibi hoc deducitur.*

Ad t. 20. Verba, etsi naturæ æqualitas maneat, *adjice, Secùs ac Ariani olim ex eo, quòd Pater dat, filius esse accipit, inæqualitatem naturæ concluserunt, quòd beatius dare, quam accipere sit*, Actor. 20. v. 25. Vt Bell. l. 1. d. Chro. C. 19. *notat. Sed rectè ab* Augustin. l. 3. c. Maxim. C. 24. *adversum, dictum illud de dando in hac vitâ loqui, non de eo ante secula, ubi filius esse accepit, & ubi non inopia. Et olim jam dixi, dictum de eleemosynâ loqui, non de esse communicando*, de Comparat. t. 11. *Nam de hoc acceptum nec in humanis naturæ diversitatem importat. Pater filio vitam & esse dat, Filius accipit, & naturæ identitas est, nulla inæqualitas. Filius æquè perfectus homo, ac Pater est. Imò nec in eleemosynâ dandâ procedit. Dives dat: pauper accipit, & essentia hominis in utroq; eadem, naturæ inæqualitas nulla hic.*

Ad eandem th. p. 31. post Patrum testimonia *adde: Fatetur* Socinus, *sententiam suam de Christi naturâ & essentiâ omnibus Scripturæ interpretibus adversari, quorum Scripta ad nostram ætatem pervênere*, c. Wieck. C. 5. clas. 3. Et C. 9. clas. 7. *Authoritatum ex Patribus & Conciliis congeriem nullas vires habere ait, præsertim adversùs suos, qui ab istis Patribus & Conciliis, quæ extant, dissentire non diffiteantur. Similia alii habent. Ita Patribus se adversari fatentur. Quorum consensum nos unà cum Scripturâ hic gratissimum habemus.*

METHODUS
Controversiæ inter Christianos de Trinitate.

Thesis I.

IN puncto de Trinitate contra Adversarios hodiernos, quos Photinianos *discriminis gratiâ appellamus, nec ipsi se ita appellari magnoperè repugnant, factoq; in simili exprimunt, cum* Calvinistas, Papistas, Lutheranos, *appellant*, V. Socinum ep. 35. ad Radecium, Et ep. 3. ad Niemojevium, Ep. 3. ad Dudithium, Ostorodum C. 38 Inst. num. 3. 5. Smalcium c. Smiglec. l. *1*. d. err. Arian. C.2. & *14*. Et p.1. resp. ad nov. mon. C. 1. Et præf. refut. Orationum Vogelii & Peuschelii, Et d. 12. c. Frantz. t. *112*. Anonomum von vergleichen zu Leipzig/anno 31. t. 4. 5. 6. 7. 8. 10. *16*. seq. Sclichting qu. 2. c. Meisner. C. 2. m. 1. t. 1. 3. Nicolaidem de Eccles. c. Borcovium, C. 2. 6. Aliosq;, *Cautè ordinatè, ac sufficienter procedendo, probè ad sententiam eorum est attendendum, ejus explicationem, confirmationem, & deductionem, nostræq; ac oppositæ ipsorum sententiæ oppugnationem, nostrorumq; argumentorum refutationem. Ne secùs procedendo veritatem deseruisse aut prostituisse videamur, aut ipsis aliquo in puncto injuriam intulisse deprehendamur, de quo frequenter illi conqueri solent, aut minùs solidè vel sufficienter sententiam eorum oppugnasse, & expugnare non valuisse convincamur. De quo etiam querelæ apud eos, & res ipsa à vero quandoq; per ineptiam Scriptorum non aliena deprehenditur.*

2. Sententia *ipsorum proponenda est candidè, apertè, & plenariè.* Explicatio *ejus ex Scriptoribus maximè ap. illos authenticis & classicis desumenda, ne contra quosdam excipiant, non esse è verè suis, Vt de* Serveto, Franc. Davidis, Ochino, Valent. Gentili, Blandratâ, Eniedino, Budneo, Sommero, Glirio, Mennone, *reponere solent. Classici apud illos Scriptores hodiè habentur,* Socinus, Smalcius, Bebelnovius, Ostorodus, Volkelius, Moscorovius, Nicolaides, Crellius, Schlichtingius, Reuchlinius, Stegmannus, Simplicius, Piscecius, Catechismus Racoviensis major & minor, *quorum testimonia non suspecta apud illos haberi reperiuntur.* Confirmatio *sententiæ eorum ex iisdem authoribus petenda est, ac ad argumenta & proponendi modum strictè adhærescendum, non immutandus ille, aut alia pro ipsorum argumentis substituenda.* Oppugnatio *nostræ sententiæ similiter ex illis petatur, & quæ habent, candidè proponenda, ac sub examen revocanda sunt.*

3. Quia passim ex Respondentibus Opponentes se fieri queruntur, *inq; eo disputandi leges perverti censent, cum tantùm ad nostra argumenta excipiant, nihil de suo probent, relinqui sanè in illo respondendi officio possunt, quamdiu ipsi in tali officio se continent. Quia tamen* respondere & probare sæpè nexa *commistaq; sunt, & præter respondere ipsi* hypotheses suas immiscent, *eas aut alia probant, responsionem demonstrant, consequentias formant, in quibus omnibus arguendi vis delitescit, jure ut argumentantes simùl tractari queunt, eaq; illis imponi, quæ argumentantibus solent. Nec forum jure declinare queunt. Ita cùm Respondens propositionem aliquam negat, & negandi rationes adfert, vel cum consequentiam negat, & principium, quod negavit, particulare*

esse

esse ostendit, omninò argumentans fit. Ita cum probationes, consequentias, vel incertas hypotheses inspergunt, rationes ab illis postulari possunt, & sic probare necessum habent. Nec enim Respondenti dicere aut negare licet, quod libet. Hic ergò principium petere, Ignorationem elenchi, elenchum causæ, consequentis, committere jure dici possunt. Sæpè autem in disputationibus hæc concurrere, & sic exerceri, praxis controvertentium abundè ostendit. Exempla in Smalcio ref. thes. Schopperi, & L. 1 d. er. Ar. C. 9. Et ad monst. Smiglec. p. 3. C. 23. Wendelino in Theolog. aliisq; sunt.

4. De Trinitate in divinis principalis cum ipsis Controversia in hoc est, An in unicâ DEI naturâ & essentiâ trinum aliquid personâ & subsistentiâ sit? Hoc enim personæ voce notamus, intellectualis naturæ ultimam & incommunicabilem alteri pleno supposito subsistentiam. Pontificii, Lutherani, & Reformati ita esse ajunt. Photiniani, Ariani, Anabaptistæ, Tritheitæ, Praxeani, Sabelliani, negant, & absurdũ, Contradictoriũ, & Scripturæ ac Naturæ adversum censent.

5. Ista Controversia ut accuratè, cautè, & plenè inter partes controvertentes decidatur, distinctè in membra quædam resolvenda, certa ab incertis distinguenda. Quæ Adversariis nobiscum communia ac concessa sunt, prærequirenda, & ex istis incerta ac dubia ultra deducenda, confirmanda, & probanda sunt. In quibusdam enim principiis omnes disputantes convenire oportet, secùs disputatio nulla satis occupari possit.

6. Membra Controversiæ istius inprimis tria sunt, quibus probatis cætera facilè consequentur. 1. Trinitatem illam substantiarum esse, non accidentium, & substantiarum quidem intellectualium, hoc est, Ut usitatè loqui solemus, personarum. Hoc enim substantiæ intellectuales esse solent, Ut Deus, angeli boni

& mali, & anima hominis separata, quæ persona incompleta, & ad alterius complementum naturâ sui ordinata est. 2. Spiritum S. *in divinis substantiam peculiarem esse, non accidens aliquod.* 3. Filium DEI *divinæ cum Patre suo naturæ & essentiæ esse, non alienæ, aut meram naturâ sui creaturam.*

7. *Certa, & inter nos ac ipsos magnam partem concessa, ut arbitror, sequentia erunt.* 1. DEUM *naturâ unicum esse, & naturam ac essentiam ejus unicam esse, non trinam, triplam, aut in diversa supposita ac essentias multiplicatam, nec secundùm numerum multiplicabilem, nec à Nobis id statui aut agnosci, quicquid de Tritheitis sit, quos pro nostris non agnoscimus.* V. t. 36. 37. 2. Mysteria *fidei Christianæ ex solo DEI verbo, ut principio adæquato, certissimo, infallibili, & sufficienter in fundamentalibus claro, haurienda ac confirmanda esse. Cætera omnia, Ut principia rationis, authoritates humanas, traditiones, Patres, Concilia, Philosophiam, hic aliena & vacillantia esse.* 3. Fidei Ista mysteria *ex Novo Testam. inprimis ostendenda esse, Ut maximè in Veteri non ita apertè repræsentata inveniantur, sed obscuriùs. Multa enim in hoc involuta, quæ in Novo explicata, Novumq; in Veteri latet, sed Vetus in Novo patet.* 4. Longè aliud esse mysteria ipsa & fidem eorum, & *notitiam explicandi, confirmandi, aut defendendi fidem. Mysteria ipsa cognita esse possunt, fidemq; ipsam ad salutem prorsùs necessariam esse, certum est. Notitia explicandi & defendendi fidem doctoribus Christianorum magis necessaria est. Christiani per fidem multi esse possunt: Defensores & explicatores per artem pauci. Sic unum DEum esse, & in illo trinum quid, Patrem, Fil. & Sp. S. fides esse potest. Sed ista 3. personas esse, & quid persona, quid essentia, natura, subsistentia, sit, quid differant aut conveniant, longè specialior uberiorq; notitia & explicatio*

est,

est, quæ in multis fidelibus abesse potest, qui non tamen negant, & contra eos, qui negant, à scientibus defendi debet.

8. 5. Mysteria fidei *sufficienter quantum ad fidem Verbis Scripturæ contineri, illisq; pro fide proponi, deduci, & confirmari posse, Vtcunq; termini rationis humanæ, Philosophiæ, Patrum, Ecclesiæ, traditionum, similes, non adhibeantur aut intelligantur.* Mysteria enim fuerunt, anteqvàm tales termini inventi, exculti, adhibiti, *aut usu recepti fuerunt, Rebus ipsis posteriores, contra Adversarios ac hæreticos introducti & usurpati, ad melius explicandum, defendendum, distinguendum, sæpè tricosi, incerti, & varii sensus sunt, & rem ipsam non constituunt. Ita si probetur, tres illos, quos in DEO credimus, P. Fil. & Sp. S. in Scriptur. â Novi T. ita repræsentari, ut quoad rem idem illud sint, quod personæ voce exprimimus, satis Trinitatem nostri sensus probatam esse, etiamsi de formalibus talium terminorum, aliisq; difficultatibus Metaphysicis constituere aut convenire nequeamus.* Pro fide satis est, *rem ipsam Scripturæ verbis expressam piè credere, devotè amplecti, in Christianâ simplicitate acquiescere, & ad praxin pietatis vitâ exprimendam contendere, quàm de variis terminis Philosophicis aut Metaphysicis odiosè in infinitum disceptare. Quos Ecclesia Christiana nunquam adhibuisset, nisi occasione Adversariorum aut curiosorum eò adacta fuisset. In quo* Photinianos, *Vbi rem rectè æstimaverint, omninò nobis consensuros existimo.* Et rem *ipsam pleniùs* in libris de fide Christ. *deducam. Quid persona divina sit, nondùm inter Vos est definitum, ait* Schlichting. c. Meisn. d. art. fundam. pag. 3. *Et alibi.*

9. 6. Qui circa terminum *aliquem hæreat aut dubitet, an & quomodo in mysteriis adhibendus, non statim ipsum mysterium negare censeri debet, si rem verbis Scripturæ proponat*

nat, illisq; credat. Termini enim humani mysteriis ipsis posteriores sunt, t. 8. 7. A simplice Christiano *multa in rebus fidei ignorari possunt, quæ non æq; à sciente negari & impugnari possunt, quod Scriptores Adversariorum faciunt. Negare enim veritatem aliquam Theologicam periculosum, cum simpliciter ignorare sine periculo sæpiùs esse queat.* 8. Qui de veritate sententiæ alicujus Theologicæ dubitet, *in eamq; inquirere velit, de receptâ sententiâ non recedere debet, priusquàm plenè omnia inquisierit & cognoverit, certusq; sit, priorem sententiam omninò falsam, posteriorem veriorem esse. Secùs temerarii, præcipitis, & imprudentis nomen non effugiet. Et in re civili gravi omnes cunctabundi esse solent, Nemo præcipitare vult. Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est*, ait Juvenalis sat 6. *Cur non in spiritualibus materiis tempus insumatur? Confer* Wittebergenses in admon. ad Bohemos, C.1. 9. Ubi in probationibus aliquid statutum fuerit, *quod minùs liqueat, aut infirmari possit, in arguendo aut probandi modo, vel deducendo semper mutare, addere, demere, perficere, ac sententiam emendare liceat, idq; fas & æquum est, priores sententias ex posterioribus abrogare, & deterioribus meliora cogitata substituere.* 10. Ex principiis utrinq; concessis *optimè probationem duci, argumenta infirmiora variisq; exceptionibus subjecta tutissimè relinqui, validiora urgeri.* 11. DEI veritatem & gloriam in rebus spiritualibus omnibus humanis rebus præferendam, *& in rebus credendis inter necessaria & utilia, fundamentum & structuras super eo factas, fidem & fidei deductionem ac confirmationem, mysterium & disquisitiones ac subtilitates Scholasticas de eo motas ac ventilatas, utiliter distingui. In morte à variis disceptationibus relinquimur. Fidem tamen & bonam conscientiam retinentes*, 1. Tim. 1. v. 19.

ad salu-

ad salutem provehimur. 12. Si de consensu & sententiâ Veteris Ecclesiæ Christianæ in puncto de Trinitate quæratur, optimè illam ex Antenicænis Patribus sumi, hi enim ab utraq; parte concessi sunt: Niceni & Postniceni alteri parti suspecti sunt. Primis post Apostolos seculis fidem Christianam puriorem, & Apostolorum sententiæ conformiorem fuisse certum est, eamq; fidem priscos Patres optimè scivisse, & ad posteros fidelissimè propagasse liquidum: Successu seculorum plures errores irrepsisse, fidemq; Christianam corruptiorem evasisse. Vt pluribus L. 2. de fid. Christ. C. 7. ex ipsis Patribus, Scriptoribus Ecclesiasticis, & Theologis deducetur.

10. Hæc, ut opinor, certa cum illis erunt. Incerta sunt, quæ t. 6. notata. Primum quod hic probandum, illud est, Trinitatem in divinis substantiarum esse, non accidentium. Hoc enim probato Spiritum S. substantiam esse probatum est, quod contra Photin. est. Hoc probatur. 1. Ex 1. Joh. 5. v. 7. Omnis testis in cœlo substantia est, nam & testes in terrâ omnes tales sunt, v. 8. Et nuspiam in N. T. accidentia in cœlis testari dicuntur. Ac de Patre & filio conceditur, esse substantias. Iam de Sp. S. pariter in illo testimonio id dicitur, nec dissimilitudinis argumentum aut indicium ullum hic. Et testimonium hoc DEI esse v. 9. explicatur. Testimonium autem DEI omninò substantiæ est. In illo testimonio autem simùl Sp. S. jungitur. Vnde substantiam esse oportet, & sic in DEO & Sp. Dei substantia. 2. Ex institutione baptismi, Matth. 28. v. 19. In cujus nomen in Novo T. peculiari & novo instituto per totum mundum valituro, baptismo propriè dicto in remissionem peccatorum omnes gentes baptisari jubentur, est substantia. Nec enim unquam in Novo aut Vet. T. in accidentis alicujus nomen ullus baptisari jubetur, aut juberi unqvam legitur, aut ullus in accidentis nomen

baptisatus legitur: Nec ullâ instantiâ ex toto Codice Biblico sumptâ contrarium ostendi potest. *Imò generaliter* per totam Scripturam Veteris & Novi Test. *In cujus nomen aliquis propriè baptizari jubetur, semper est substantia, aut oppositum ostendatur.* Sed in trium nomen, *Patris, Filii, & Sp. S. ita in N.T. baptizari jubentur om. gentes.* Et pariter *in Sp. S. nomẽ baptizari jubentur, ac Patris & Filii, cum æq. dicatur, & in nomen Sp. S. ac in nomen Patris & Filii, nec disparitatis in mandato hoc ullum indicium. Patrem autem & filium substantias esse* Photiniani *concedunt. E. & Sp. S. est substantia. Et sic 3. in DEO substantiæ, & consequenter Sp. S. est substantia, non accidens. Substantia autem intellectualis vulgò dicitur persona, t. 6. Aut quo alio commodiore termino appelletur, dum de reipsâ constet, nihil refert. 3.* Ex spirituali voto *Ecclesiæ Novi Test. facto, 2.* Cor. *13.* v. *13. Vbi similiter tria junguntur, Christus, DEus, & Sp. S. Vide* & Apoc. 1. v. 4. *5.* *Vota autem publica Ecclesiis Novi Testam. in rebus spiritualibus nunquam ab accidentibus optari solent, semper à substantiis, ut ex titulis Epistolarum & Apocalypseos patet. Nec potest salus spiritualis Ecclesiis optari, nisi à substantiis, ut inductiones Scripturæ docent.* V. Jacob. 1. v. 17. *Quomodo & nos in Civilibus* salutem in epistolis aut aliis nonnisi à substantiis *precari solemus, Vt experientia testatur. Sed tres hic junguntur in spirituali & publico voto, & Sp. S. pariter illis conjungitur. Et hic ergò substantia, & sic in DEO tres substantiæ.* Pluribus in Pentecostalibus t. 29. *hæc deducta. Quæ subst. quia intellectuales, usitatè personæ dicuntur. Vnum autem DEum naturâ esse* Nobis & Photinianis *concessum est. Et quia in DEO tres substantiæ intellectuales, consequenter in uno DEO tres personæ, quod probandum.*

11. Dices: Quot sunt personæ *seu substantiæ, tot es-*

sentiæ,

sentia, sic tres essentiæ in DEO. R. Adde antecedenti, in divinis quot personæ, tot essentiæ. De hoc enim quæritur, & nisi hoc probaveris, frustra in toto negotio fueris, Vtcunq; de humanis & creatis omnibus inductionem formâris. In divinâ materiâ hic proceditur, & hic probandum. In divinis autem istam Majorem negamus, Quia tria hic in unum sunt, 1. Joh. 5. Matth. 28. Quæ tria substantias esse probatum est. Et extra revelationem de divinis nihil solidi liquet. Nec Scriptura de divinis uspiam tale axioma habet, sed oppositum insinuat. 2. Adde etiam Majori, aut unica essentia distinctis subsistentiis unitate sui ob infinitatem substans, Vt post patebit. Persona accuratè loquendo est modus in essentiâ, subsistentia nempè, non ipsa præcisè essentia. Non sequitur autem, quot modi in re, tot essentias esse. Vnde nec à pluralitate personæ ad pluralitatem essentiæ procedendum, si à finito & infinito abstrahatur. Sic entis modi plures, unitas, veritas, bonitas, perfectio, Vbietas, duratio: Essentia unica. Dependentia, finitudo, necessitas, & causalitas, quatuor animæ reales modi, realiter inter se diversi sunt, anima ipsa unica numero & singularis est, & modi ipsa anima sunt, t. 37. Et essentia infinita, quia talis, variis subsistentiis substare potest, unitate sui, quod finita nonnisi multiplicitate præstare potest, quia finita. Substantiæ etiam abstractum est subsistentia, tàm in creatis, quàm increatis, non essentia, quæ etiam in accidentibus est, quæ tamen non substantiæ. Vnde hoc tantùm sequitur: Quot substantiæ, tot subsistentiæ vel subsistentes, quod in DEO concedi potest, non essentiæ statim.

12. Ita Trinitas strictìm probata, quòd substantiarum sit. Secundum hic probandum id est, Spiritum S. in DEO substantiam esse, non accidens. Hoc ulteriùs patet, 1. Ex testimonio divino in cœlis, quod cum Patre & filio simùl

dat, & in quo pariter Spiritus distinctè nominatur, ac Pater & Filius. Nunquam enim accidentia in cœlis testari dicuntur, t. 10. 2. Ex baptismo in nomen ejus peracto, & distinctè peragi in N.T. jusso, ubi nuspiam in accidentis nomen in N. T. baptizari jubemur. Et pariter hic Spiritus S. nomen, ac Patris & Filii, exprimitur. 3. Ex voto distinctè & peculiariter ab ipso Ecclesiis N.T. in spiritualibus facto, 2. Cor. 13. Vbi ostendatur, Apostolos ab accidentibus publicè Ecclesiis in spiritualibus aliquid vovere solere. Patrem & Filium substantias fatentur. De solo Sp. S. hærent, cum tamen tàm apertè, frequenter, pariter, & distinctè cum cœteris ille exprimatur. 4. Qvia paracletus vocatur, Joh. 14. v. 16. Et eodem capite, Vt & C. 15. & 16. multa de eo tanquam de substantiâ adducuntur. Omnis autem paracletus & advocatus est substantia, nec uspiam accidentia in N. T. advocati dicuntur. Sic Christus advocatus, 1. Joh. 2. v. 1. Et verissima substantia. Spiritus S. autem paracletus, qui pro nobis gemitibus inenarrabilibus interpellat. Rom. 8. v. 26. Quomodo nuspiam de accidentibus N. Test. loquitur. De Christo sic loquitur, Rom. 8. v. 34. Qui substantia. Imò Joh. 15. v. 26. Enallage generum de eo Scriptura vtitur, Vt τὸ πνεῦμα, & ἐκεῖνος, quali nonnisi de substantiis uti solet N. T. Vid. Matth. 28. v. 19. Apoc. 7. v. 4. 5. seq. C. 11. v. 4. Quod & Latini imitari solent, Vt in Pentecostalibus t. 29. docui, Vbi pluribus res hæc probata. 5. Quia in eum distinctè, ut in Patrem & Filium, credimus, & nos credere distinctè in peculiari Symbolo Apostolico, quod divinæ authoritatis fateri solemus, & ab ipsis præcipuis Photinianis recipitur, Cum anno 1642. notas in illud velut Confessionem suam ediderint, profitemur, quomodo nunquam Christianus in accidens aliquod se credere profitetur, semper substantiam, Plura c. l. Substantia autem intellectualis, non

bruta

bruta est. Hæc usitatè persona dicitur. Aut si hic terminus tricosus videatur, Dicatur talis, qualis in Scripturâ describitur, & annon in reipsâ idem id fuerit, ac persona, ab ipsis Photinianis *æstimetur. Nos rem spectamus, non nudos rerum terminos, quos ab hominibus interdùm introductos novimus*, t. 8. 10.

13. Dices 1. Sp. S. *dicitur virtus altissimi*, Luc. 1. *Non ergò substantia. R. Multæ virtutes substantiæ sunt. Et Ruben prima virtus Iacobi dicitur*, Gen. 49. *Et Simon magus magna virtus Dei Samaritanis*, Actor. 8. v. 10. *DEus Davidis virtus dicitur*, Psal. 27. v. 1. Psal. 28. v. 7. 8. *Etiam angeli virtutes dicuntur*, 1. Petr. 3. v. 22. *Tamen omnes substantiæ, etiam Adversariis concedentibus.* 2. Est donum DEI. Actor. 2. v. 38. C. 5. v. 32. R. Spiritus *vocem pro donis spiritus interdùm accipi concedimus, & tùm accidentia à DEO in sanctis producta esse constat*, 1. Cor. 12. v. 4. 7. 8. *Sed semper ita accipi negatur, A donis enim interdùm distinguitur*, 1. Cor. 12. v. 4. 11. *Et sic describitur ac determinatur, ut substantiam esse necesse sit*, t. 11. *Nec donum esse & substantiam, repugnat. Imò pleraq; dona substantiæ sunt. Sic si eqvos, libros, vestes, arma, suppellectilem, domos, agros, prædia, arbores, fructus, vina, instrumenta, cibos, servos, rusticos, dones; non ob id substantiæ esse desinunt. Liberi dona DEI*, Psal. 127. v. 4. *Iacobi filii à DEO dati*, Gen. 33. v. 5. *Navigantes Paulo donati*, Actor. 27. v. 24. *Tarsenses & Mallotenses ab Antiocho pellici donati*, 2. Macc. 4. v. 30. *Christus donum cœleste est. Omnes tamen substantiæ, multi etiam personæ.* 3. Donum *est inferius donante. E. & Sp. S. inferior Patre, & sic non perindè DEVS, ac Pater.* R. 1. Adde, *In divinis donum inf. donante, de hoc enim quæritur*, t. 11. *Et tùm quæram, ex quo Scripturæ libro tale enuntiatum haustum sit? Ostendi enim ex eâ non potest, &*

ex *Naturæ inductione de tantâ re divinâ concludere velle, nimis periculosum est. Christus dedit semetipsum pro nobis*, Gal. 1. v. 4. 1. Tim. 2. v. 6. *Et sic donum nostrum est, nec inferior seipso est. Item Dei donum est*, Esai. 9. v. 6. Joh. 4. v. 10. Rom. 8. v. 32. *Et tamen æqualis DEO*, t. 14. 17. *Sic filium dari à seipso* Augustin. L. 2. de Trin. C. 5. Tannerus T. 1. Th. Schol. d. 4. q. 4. d. 9. *tradunt, Nec inferioritatem inde concedunt. DEus seipsum dat fidelibus suis fruendum ac possidendum, & sic donum ipsorum augustissimum est, fons omnis boni ipsis*, V. 2. Sam. 22. v. 2. 3. Psal. 23. v. 1. Psal. 84. v. 12. Esa. 12. v. 2. Ezech. 16. v. 8. Hose 2. v. 19. *Nec ob id inferior seipso, nec diversæ à seipso naturæ. Et Spiritus S. dat seipsum fidelibus, quia communicat*, 2. Cor. 13. v. 13. *Nec inferior seipso. Ac cum donum vocatur, maximè de effectis ejus & virtutibus intelligitur.* Sic *potest aliquis seipsum alteri dare in servum & mancipium, nec inferior seipso evadet.* 2. Axioma tale in nullâ disciplinâ uspiam reperitur. Et inductio *si formari debeat, ex solo Naturæ ac civilium rerum lumine & cursu ea peti poterit. Quòd si ex* Jure *derivari debeat, Vbi* titulus de donationibus *occurrit, procedat de dono* fori juridici & Juridico, *de quo* Jurisprudentia *docere potest, non ultrà. Non enim extra suum forum præcepta sua diffundere ipsa potest, aut extendere debet. Et in generalissimâ aliquâ disciplinâ, quales* Intelligentia, Metaphysica, Logica, *tale principium nunquam proponitur. Spiritus S. autem donum supernaturale, cœleste, eminens, & divinum est, ubi tale principium ex lumine supernaturalium ostendendum erit, quod sola Scriptura erit, quæ id non habet. Extra eam principia in spiritualibus admittenda non sunt*, t. 7. Deniq; *donum est dantis per identitatem, & sic non distingvitur à dante, sed ab eo, cui datur:* Per modum

dum possessionis *essentialiter à donante distinctum est, & Spiritui S. non competit, sed effecto ejus:* Per modum originis *idem cum dante esse potest, etsi quadam ratione ab eo distingvatur. Et sic Spiritus DEI à DEO Patre, ut persona à personâ distingvitur, non autem præcisè inferius naturâ, essentiâ, dignitate, esse cogitur.* Ordine ac habitudine aliquâ *distingvi potest. Sic Pater rex Filium regem electum & constitutum subditis mediatorem in negotio quodam donare potest, & natura tamen, status, dignitas, eadem utriq; est. Non ergò essendi disparitatem statim hinc inferre licet. Talis itaq; essentiæ erit Spiritus DEI, qualis DEus Pater, hoc est, divinæ. In quo nobis satis est, Vt maximè omnia decidi nequeant.*

14. *Sic &* secundum *probatum.* Tertium essentialis Christi deitas est. *Iam de termino essentialis DEI non laborandum, cum Scripturam ita non loqui certum sit. Res ipsa investigetur è Scripturis, annon eadem cum illo sit, quod essentialis Dei nomine intelligimus. Christus in sacris ita repræsentatur, Vt ille DEus sit, per quem cœlum & terra creata,* Joh. 1. Col. 1. Hebr. 1. *Per quem secula & omnia facta sint,* Joh. 1. Hebr. 1. V. t. 21. *Et uberius res in* Natalitiis t. 13. *tractata. At talis Deus haud dubiè essentialis DEus erit, quod* Photini. *agnoscere coguntur. Cum nulli alii, quàm essentiali DEO Creatio in sacris adscribatur,* Vt c. l. *probatum.* 2. Contradistinguitur *illis, qui non naturâ Dij sunt,* Gal. 4. v. 8. *Et omnibus diis λεγομένοις ac nuncupatis,* 1. Cor. 8. v. 5. 6. *Et meris per naturam hominibus,* Gal 1. v. 1. 12. *Ac ab illis separatur. Expressè autem in sacris DEus vocatur,* Joh. 1. Rom 9. Hebr. 1. 1. Joh. 5. *Non autem DEus λεγόμενος est. E. majus quid, quàm talis, erit. At hic est DEus essentialis. Omnis enim DEus, qui non per naturam & essentiam talis est, DEus λεγόμενος & nuncupatus*

patus est, qualiscunq; aliàs, & quanticunq; gradus, potentiæ, & majestatis sit. 3. Vt religioso *ac divino cultu afficiendus, ut Adversarij concedunt. At quisquis suppositum religiosè colit, quod per naturam DEus non est, idololatra est, sive crassior, sive subtilior, sive ex toto, s. ex parte,* Gal. 4. v. 8. *Quod de se dici non patientur. Naturâ ergò divinum suppositum Christum esse oportet.* 4. Vt naturalis *& proprius DEI Filius, non Metaphoricus & improprius, Vt nos,* Rom. 8. v. 32. *Vt unigenitus* παρὰ πατρὸς, Joh. 1. v. 14. *Quomodo nullus ex metaphoricis DEI filiis in sacris in Novo T. vocatur. Sed omnis naturalis & proprius filius ejusdem cum Patre suo est essentiæ, nec exemplum in contrarium ostendi potest, nisi ad hoc unicum de Christo confugiant, quod per ipsos controversum factum est, cum antea non fuerit, eoq; ex incertâ hypothesi totum procedit, cum instantia ab eo sumatur, quod maximè controversum est. E. per essentiam DEum esse oportet, Vt Pater. Et huc* epitheta *illa pertinent, quibus in Sacris insignitur, DEus verus,* 1. Joh. 5. v. 20. *Quomodo nemo in N. T. vocatur, nisi per essentiam talis, Vt ex* Joh. 17. *ipsi* Phot. *urgere solent: Magnus,* Tit. 2. v. 13. *In secula benedictus,* Rom. 9. v. 5. *DEus & Dominus noster,* Joh. 20. v. 28. *Quas essentialis DEI periphrases esse certum est: Et in hoc ad fidem satis est, Vtcunq; in omnibus specialitatibus, quas ratio hic movet aut texit, tandem non satisfieri, aut conveniri queat, quas fides respuit & resecat, Vt post dicetur.* Conf. t. 16. *Et consentiant hic* Photinistæ: *Multa in cæteris secari debere profitebor, quæ solvi nolunt.*

15. *Deniq;* generaliter pro Trinitate *personarum in divinis sic arguere liceat.* In cujus nomen in N. T. omnes gentes distinctè, propriè, & solenniter, *novo ac generali instituto per totum mundum valituro, baptizari jubentur, eum*

oportet

oportet esse substantiam divinam, t. 10. *Ratio*, 1. Quia *nusquam in totâ Scripturâ ullus in nomen accidentis baptizari jubetur*, c. l. 2. Quia *baptismus N. Test. fit in remissionem peccatorum*, Actor. 2. v. 38. *At hanc nonnisi à DEO exspectare possumus, nullâ merâ creaturâ.* Psal. 32. v. 5. 6. Psal. 51. v. 3. 4. Mich. 7. v. 18. Marc. 2. v. 7. *Ei enim soli, tanquam legislatori peccavimus*, Psal. 51. v. 6. *Qui & salvare & damnare potest.* Jacob. 4. v. 12. *Ipseq; solus suo nomine peccata remittit*, Luc. 24. v. 47. *Cum homines DEI & Christi nomine remittant. Homines ministerium reconciliationis & annuntiationis remissionis peccatorum habent*, 2. Sam. 12. v. 13. Luc. 24. v. 47. 2. Cor. 5. v. 18. 19. 20. *Solus DEus efficaciam & authoritatem*, Marc. 2. v. 7. 3. Quia *baptismus N. T. est stipulatio bonæ conscientiæ cum DEO*, 1. Petr. 3. v. 21. *Non homine aut merâ creaturâ. In cujus nomen ergò ille expeditur, DEum esse oportet, non meram creaturam. Sed tres sunt, in quorum nomen in Novo T. omnes gentes distinctè, propriè, & solenniter baptizari jubentur, Pater, Filius, & Sp. S. E. tres illos, Patrem, Filium, & Sp. S. substantias divinas esse oportet. Intellectuales autem sunt substantiæ, non sine intellectu. Hæ usitatè personæ dicuntur.* Conf. t. 10. *Tres ergò illi, Pater, Verbum, & Sp. S. sunt tres personæ divinæ. Essentia autem DEI unica est*, t. 7. *E. in unicâ DEI essentiâ sunt tres substantiæ, subsistentiæ, personæ divinæ, quod* directè *erat demonstrandum. E. ista tria, Pater, Filius, & Sp. S. sunt aliquid intimè ad ipsum DEum pertinens, Vel quomodocunq; meliùs & explanatiùs illud enuntiari queat.* Dictum est enim tres personæ, non ut diceretur, sed ne omninò taceretur, ait Augustinus, V. t. 19. *Quæ hic excipiunt dissentientes*, alibi *expedienda.* Methodum *enim & ideam delineasse animus fuit, non materias omnes pertractare.*

16. Ita

16. *Ita breviter* Methodus Trinitatis *adumbrata. Vt specialiùs de priscâ ac Apóstolicâ quoad hoc punctum fide ex sacris, & antiquissimis primorum 300. annorum* Patribus *constet, quid inprimis de DEI Filio illi senserint, de quo potissima cum* Photinianis *controversia, ad sequentia adhuc advertendum erit.* 1. Ex verbis Scripturæ tutissimè fides sumitur, *in illis ut certissimis acquiescitur, ex illis contra Adversarios tutissimè proceditur, Etiamsi tandem de omnibus difficultatibus à ratione hic nexis, non semper plenè in hac caligine constituatur,* t. 8. *Si ergò DEI filius ita Deus credatur, quomodo in sacris repræsentatur,* t. 14. *Ad fidem sufficit, etiamsi de specialibus nonnullis aliqua aliò tandem remittenda sint, & in hoc Orbe prorsùs expediri non possint. Tricosam enim rem esse, infinitæ contentiones disceptationum docent, Et Adversariis occasio indè, ut multa dubia reddant aut impugnent: Pro quo tricas resecuisse, satius pro fide fuerit. Ita passim ab inoriginato illo DEO, qui Pater omnium confessione est, Filium distingvi legunt,* Joh. 8. v. 16. 18. C. 10. v. 29. C. 17. v. 3. 1. Cor. 8. v. 6. C. 11. v. 2. 2. Cor. 13. v. 13. 1. Thess. 3. v. 11. Judæ v. 4. *Ferméq; in omnibus N. Test. libris:* Et in tali modo *distingvi, quòd Pater sæpiùs & singulariter DEus, Filius dominus, legatus, angelus, agnus, & similiter appelletur,* Joh. 17. 1. Cor. 8. Ephes. 4. v. 6. Apoc. 7. v. 10. C. 20. v. 6. C. 22. v. 1. 3. *Et in ipso* Symbolo Apostolico, *quod divinæ Veritatis omnes confitemur, apertè distingvi vident, ac Veteres Patres,* Irenæum L. 1. C. 2. & 4. Cyrillum Catech. 7. Ruffinum in expos. Symboli, aliosq; *Symbolum exponentes semper unum DEum Patrem legisse vident, non inter DEum & Patrem virgulam interposuisse quasi DEus esset Pater, Fil. & Sp. S. simùl; Quod* Bellarminus L. 2. de Christo, C. 8. *concedit, & Catechismos Ca-*

tholicos

tholicos illam virgulam non habere ait: Quidam etiam DEum super omnia aut Creatorem eum esse negârunt, Vt Ignatius & Justinus, t. 19. Ac in sacris Filium DEO Patri subjectum, ejus esse, eum caput ac DEum habere dici observant, 1. Cor. 3. v. 33. C. 11. v. 3. C. 15. v. 28. Quod & post ascensionem de eo repetitur, Apoc. 3. v. 12. Nec de eo, in quantum tantùm homo est, dici posse videatur, cùm & ut DEus, Filius Patris sit, non solùm ut homo, t. 20. Nec tantùm ut homo, sed & ut DEus, essentiam à Patre habeat, quia vitam indè habet, Ioh. 5. v. 26. C. 6. v. 57. Quæ ipsa essentia est; Vt rectè Stegmannus d. 5. Phot. q. 6. Nec ratione solius subsistentiæ id de eo dici videatur, Non enim filius aliquis à Patre tantùm personæ ratione, sed & essentiæ ac Naturæ ortus dici solet: Et vita filii non subsistentia tantùm, sed essentia est. Vnde & Niceni DEum de DEO, lumen de lumine vocant: Sæpè etiam filius à Patre dependere à variis Scriptoribus dici soleat, t. 39. Multiq́; αὐτόθεον illum negent, quod à Patre DEus sit, indeq́; esse habeat. V. Bellarmin. L. 2. de Christo, C. 19. Qualia de illo DEO, qui Pater est, dici non possint, nec in sacris reperiantur. Vnde nodos, difficultates, & disceptationes varias necti posse consequenter perspicitur.

17. 2. De illis quodcunq́; sit, & quantumcunq́; triceris aut disceptes, hoc tamen sufficienter ex sacris de filio DEI haberi potest, Essentialem, Verumq; eum DEum esse, ante secula ac mundum conditum essentiam habere, in V. T. jam tùm extitisse, Israëlitas duxisse, Ecclesiam etiam istius fœderis rexisse, ejus caput ac principem militiæ Iehovæ, Jos. 5 v. 14. fuisse, omnia nomine & vice DEI Patris, pari potentiâ, authoritate, & cultu administrasse, quo ipso Photinianis in omnibus contradictum est, qui omnia hæc negant. Hæc autem sequentibus patent. 1. Quia

nomen DEI & Jehovæ *etiam in V. T. ipsi assignatur, & à Patre attributum esse insinuatur*, Exod. 23. v. 21. *Vnde se DEVM Abrahæ, Isaaci, & Iacobi vocat*, C. 3. v. 4. *Qui* v. 2. & Actor. 7. v. 30. 35. *Angelus Iehovæ vocatur: Et Prophetæ passim Messiam Iehovam vocant*, Esai. 48. v. 16. Jerem. 23. v. 6. C. 33. v. 16. Zacch. 2. v. 8. 9. seq C. 12. v. 8. 9. 10. Et hoc nomen directè in casu recto ulli creaturæ extra DEum & à DEO prorsùs *ac essentiâ totâ* diversæ, usquàm *attribui è sacris probari non potest, & loca, quæ adducuntur, omnia aliena sunt, ut* alibi *probatur. Soli DEO, & quæ in eo sunt, tribui inveniuntur, Filio & Spiritui ejus. Quos consequenter etiam DEum, & in DEO ac ad DEum pertinens aliquid esse oportet.* 2. Quia *ipsam vim & potentiam divinam illi communicavit, qualem nulli meræ creaturæ*, Psal. 2. v. 8. 9. Psal. 72. v. 8. seq. Psal. 110. v. 2. Matth. 11. v. 27. Joh. 3. v. 35. C. 5. v. 19. seq. C. 13. v. 3. C. 17. v. 2. Hebr. 1. v. 13. *Et imperium ac judicium divinum, quod aliàs ut absoluiè independens ille DEus sibi proprium habet, per hunc Filium suum exequi statuit*, Joh. 5. v. 22. Actor. 17. v. 3. *Vt super omnes DEos in cœlo & in terrâ exaltatus sit, & potestatem non corporum tantùm, sed & animarum habeat*, Matth. 10. v. 28. Luc. 12. v. 5. *Mortuorum & vivorum*, Rom. 14. v. 9. *Etiam inferni*, Apoc. 1. v. 18. *Vt & angelis imperare possit, illisq; longè sublimior sit*, Ephes. 1. v. 21. Phil. 2. v. 10. 1. Petr. 3. v. 22. Heb. 1. v. 4. seq. *Tanquàm proprius Dei filius*, Rom. 8. v. 32. *Quod nomen nulli angelorum unquam dictum est*, Hebr. 1. v. 5. *Vt Rex Regum & Dominus Dominantium sit*, Apoc. 1. v. 5. C. 19. v. 16. *Character substantiæ Patris, & imago Dei invisibilis sit*, V. t. 31. 44. *Solus Pater ipso major sit, quà Pater*, t. 20. *At talis potestas divina est, nec meræ creaturæ, etiam angelo, eam unquam attri-*

butam

butam fuisse é sacris probari potest, nec tales tituli meræ creaturæ uspiam attributi inveniuntur. Nec DEus alteri à se naturâ diverso gloriam suam dabit, Esa. 42. v. 8. C. 48. v. 11.

18. 3. Quia *per Filium DEus Pater mundum & omnia in eo creavit, etiam angelos, thronos*, Joh. 1. v. 3. 1. Cor. 8 v. 6. Ephes. 3. v. 9. Col. 1. v. 16. Hebr. 1. v. 2. *Unde & ipse creasse dicitur*, Psal. 102. v. 26. *Quod de Filio*, Hebr. 1. v. 10. *explicatur*, Esai. 48. v. 13. *Quia nempè per ipsum omnia sunt condita*, t. 21. *Et ante ista omnia jam ipse exitit*, Joh. 1. Col. 1. *Ac principium creaturæ DEI est, non creatura*, Apoc. 3. v. 14. *Nec unquam creatus legitur aut insinuatur, quod de angelis per consequens scriptum reperitur*, Psal. 104. v. 14. Col. 1. v. 16. *Sed genitus â Patre vocatur*, Psal. 2 Joh. 1. Hebr. 1. *Primogenitus omnis creaturæ*, Col. 1. v. 15. *Non primò creatus, Ut* Arius *voluit*, t. 19. 33. *Possessus & acquisitus in principio viarum, ante terram, cœlum, & montes*, Prov. 8. v. 22. seq. C. 30 v. 4. *Unigenitus à Patre vocatur*, Joh. 1 v. 14. 18. C. 3. v. 18. *Unde heri & hodiè, hoc est, in Veteri & Novo Testamento fuisse dicitur*, Hebr. 13. v. 8. *Et Spiritus Christi jam in Prophetis V. T. fuisse, ac passiones & glorias de eo prænunciasse dicitur*, 1. Petr. 1. v. 11. *Ita angelus iste fuit, in quo suum nomen esse DEus ipse dicit*, Exod. 23. v. 20. 21. *Qui comitatus Israëlitas in deserto fuit, & quem illi tentârunt ac exacerbârunt*, C. 1. V. 21. 1. Cor. 10. v. 4. 9. *Confer* Exod. 14. v. 19. C. 32. v. 34. C. 33. v. 2. Num. 20. v. 16. Actor. 7. v. 30. 35. *Et qui tanquam DEI filius, etiam antequam ex Mariâ natus est, in V. T. jam præsentatur*, Prov. 30. v. 4. *Quorum nihil* Photiniani *concedunt. Nec propriè filii in Theologicis â Parentibus creari, sed gigni dicuntur. Non E. creatura est Dei Filius, sed genitura, non creatum, sed genitum quid ante tempora secularia.*

 4. Quia

4. Quia cultum & honorem *divinum ei communicavit, ut pari cùm Patre honore omnes eum afficiant*, Joh. 5. v. 23. *Vt & omnes angeli eum adorare teneantur*, Psal. 91. v. 7. Hebr. 1. v. 6. *Et nos spiritualem fiduciam in ipsum, velut in ipsum DEum, collocare jubeamur*, Actor. 4. v. 12. Rom. 9. v. 23. 1. Petr. 2. v. 6. *Quod de merâ creaturâ etiam ex sacris non ostendetur*. 5. Quia Evangelici & Pontificii *similia in cantionibus Ecclesiasticis de DEI Filio proponunt, ut in cantione*, Wir gläuben/ *secundo versu de Christo canunt*, gleicher Gott von Macht vnd Ehren. *Et in cantico*, Nu kom der Heyden Heyland / *dicunt*, Gott von Art vnd Mensch ein Heide. *Et in isto*, Gelobet seystu JEsu Christ / Der Sohn des Vaters Gott von Art. *DEus autem honore, potestate, qualitate, aliquis esse potest, Vt tamen de numericâ aut specificâ essentiâ aut simili speciali ratione in hac caligine non satis liquere possit, Cum à* posteriori *pleraq; Scriptura hic revelet*, non priori, t. 45. *Quousq; Scriptura præit, sequamur, & sensum eruamus. Vbi illa sistit, & nos sistamus, & in specialibus rationibus aliqua ad cœlestem Academiam superfutura meminerimus.* *Petrus Christum Filium Dei vivi confessus, expressè à Christo beatus audit*, Matth. 16. v. 13. *De quæsitis istis specialibus & essentiæ ratione, eodem numero aut diverso, quæ hodiè disceptamus, nihil scivit aut cogitavit.* Et primi Patres *simplicissimè in hoc mysterio processerunt, Vt post dicetur.*

Hæc & similia ad fidem de Filio DEI sufficere possint. Quia tamen Christiani *ad ulteriores disceptationes de essentiâ eadem numero cum Patre, aut differentiâ ab eadem, independentiâ, prioritate, posterioritate, causâ & causato, principio & principiato, essentiâ & subsistentiâ ac personalitate, & similibus, delabuntur, multaq; horum à doctis disceptari queunt, quæ ad*

pleniorem

pleniorem rerum notitiam, explicationem, deductionem, aut defensionem facere possint, nihil temerè hic affirmandum aut negandum, sed sæpè ad non liquet, recurrendum erit, & ubi multa simplex Christianus ignorare possit, ut fidem ipsam in simplicitate teneat ac possideat, magnoq; etiam apparatu ex totâ Philosophiâ hic instructum esse oportet, quod non omnium esse potest. In Scripturæ verbis & sensu interim manendum, & ex eâ Christum Deum verum, magnum, & benedictum in secula, unigenitum Dei Patris Filium & Christum Dei esse, Matth. 16. v. 16. Luc. 2. v. 26. Rom. 9. v. 5. Tit. 2. v. 13. 1. Joh. 5. v. 20. Heb. 1. v. 6. verâ fide tenendum est. Eandemnè numero cum Patre essentiam obtineat, an essentiæ istius propaginem & Characterem, Hebr. 1. Aut quomodo in specie hæc se habeant, non priùs, ut mihi videtur, Salvo meliore judicio, non enim ut Censor, sed ut Consultor hic definiam, ut jam de med. religios. t. 4. dixi, liquidò patebit, quam ratio ac modus generationis in divinis specialiùs & pleniùs nobis constiterit. Nam ex hoc de illo facilè judicari poterit. Sed istum modum quis enarrabit? Esai. 53. v. 8. Nunquam ab homine agnoscetur, & intellectus humanus hic absorbebitur, nunquam satis assequetur. Nomen Filii Dei quodnam, inter incognita refertur, Prov. 30. v. 4. Quis generandi modum cognoscat aut expediat? V. t. 23. Modum propagandi in animâ rationali nullus hominum specialiter exponet, & generationem hominis admirandum opus esse omnes fateri coguntur, sæpèq; hic ad ἐπέχειν recurritur, Vt Dec. 2. Misc. d. 3. & 4. dixi. Quis divinæ generationis modos exquirat, & quis reprehendat, si ad ἐπέχειν & non Liquere intellectus humanus quandoq; recurrat? Ne minimum quidem verbulum in Scripturâ penitùs & exactè cognoscimus in hâc vitâ, ait Gerhardus Aphor: Pract: tit: Verbum Dei. Quis in hoc mysterio nonnulla latere iniq; ferat?

Veteres

Veteres Patres *sæpiùs ad hunc modum hîc procedunt, Vnde nobis exempla capienda.* Damascenus piè, *Divinum ens incomprehensibile prorsus & nomine destitutum est. Ignorantes igitur essentiam, nomen essentiæ ejus non perquiramus*, l. 2. d. Ort: fid. C. 16. *Similia* Lactantius l. 4. de Ver. Sap. C. 7. *habet.* Cyrillus Hierosolymitanus Catech: 11. *Quod DEus Filium habeat, crede. Quomodo autem, ne sis curiosus. Quærens enim non invenies. Si naturam genitoris non potes cognoscere, quis modus geniti sit, ne sis curiosus. Sufficit tibi ad pietatem, scire, quòd unum solum Filium DEus habeat.* Autor exposit: Symb. in additam: *Non fas est, ait, servo, de natalibus Domini disputare. Quod ipsum &* Hieronymus ep. 1. docet. V. Echardum c. 5. Th. Patrum. Ambrosius *non decere servum inquirere in natales domini ait. Licere scire, quòd natus sit filius: non licere, quomodo natus sit.* Nazianzenus *Dei generationem silentio colendam dicit. Quòd filius genitus sit, didicisse magnum fuerit. Verùm quomodo genitus sit, ne angelos quidem nosse, nedum tibi datum esse concessero.* Sic genitus est, Vt novit, qui genuit, pater, & qui genitus est, filius. *Quod verò his excelsius est, hoc nebulâ tegitur, Vt ingenii tui cœcutientes oculos facilè fugiat.* Or: de Theol. 3. Basilius *generationem Christi, quæ divinitatis ejus est, silentio colendam dicit*, hom. de hum. Chr. nativ. Ruffinus in expos: Symb: *de Deo etiam vera dicere periculosum ait. Dignè loqui de personis, vim transcendit rationis, excedit ingenia. Quid sit nasci, quid processus, me nescire sum professus*, ait Rob: Holkot ap: Bielem 1. Sent: d. 13. q. unic. *Dicimus tres personas in DEO, non ut dicatur, sed ut non omninò taceatur.* Non enim rei ineffabilis eminentia vocabulo explicari valet, ait Augustinus l. 5. de Trin: Et l. 4. C. 9. *Simile habet, Vt* Bellarm. l. 2. de

Chro.

Chro. C. 2. *ex eo adducit. Idem* Aug. *distinguere inter generationem & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio, ait* L. 3. C. Maximin. C. 13. Hilarius L. de Patris & Filii unit. *Si quis non possit consequi, sine dolore à me audiet*, Ignoro, ego nescio, non requiro. *Consolabor me tamen*, archangeli nesciunt, angeli non audierunt, Propheta non sentit. *Imò hoc officium fides profiteatur, si nihil poterit comprehendi.* Æstuo, differor, hebesco, & unde incipiam, nescio. *Nescio enim, quando sit natus filius, & nefas mihi est, dicere, quando natus sit.* Idem l. de Synodis. *Et hoc Catholicum esse nemo ignorat, duas personas esse, Patris & Filii, majorem Patrem, filium subjectum cum omnibus his, quæ ipsi pater subjecit.* Ignatius Ep. 4. ad Tarsenses, *si verè ejus est, certè vetusti Scriptoris est, & passim ut ejus allegatur, Vt* alibi *dixi, inter errores numerat, Christum esse Deum super omnia & Patrem, ac ministros Sathanæ vocat, qui id doceant, sed filium ipsius, quia dixerit, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, quia idem subjecturus se sit Patri. Alium igitur esse, qui subjicit, alium, qui subjicitur.* Sed neq; merum hominem esse, *quippè per quem, & in quo omnia facta, qui ante mundum conditum, ante Abraham fuit, qui descendit de cœlo, qui in principio fuit, qui audiit, Sede à dextris meis, qui dixit, Antequam Abraham fieret, Ego sum.* Istud ipsum est, *quod Nos volumus, & in quo sisti posse æstimamus, etiamsi de omnibus difficultatibus, quas hic ratio nectit, non satis tandem liqueat. Et duo hic negat* Ignatius, *Et summum Deum esse Christum, & Patrem.* Ibidem *locum* Prov. 8. *in Græco per* ἔκτισεν *allegat, & Interpretes per condidit ac creavit, reddunt. Quod fortè* Ario *causa errandi fuit, ut creaturam ex Dei filio faceret.* 70. *Interpr. etiam in Græco ita reddiderunt. Melior autem versio*

Aquilæ est, qui ἐκλήσατο reddidit. Idem Ignatius ep. 3. ad Magnesianos ante secula genitum fuisse apud Patrem DEum Verbum, unigenitum filium, ait. Et Verbum non pronuntiatum, sed substantiale vocat, nec articulati sermonis vocem esse, sed divinæ efficaciæ genitam essentiam, qui omnia grata & placita reddiderit ei, qui se miserit. Ἐνεργείας θεικῆς ȣσία in Græco ait. Tannerus substantiam genitam reddit T. 1. Th. Sch. d. 4. q. 1. d. 3. t. 25. Idem Ign. Ep. ad Philip. de patre locum Deut. 6. v. 4. explicat, ac novisse unum, scire solum, & confiteri se excellentiam ait. Conf. t. 20.

20. Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone, alium quoq́; in sacris esse & vocari Deum ait præter Creatorem, eumq́; angelum seu nuntium vocari dicit, quòd hominibus nuntiet, quicquid eis nuntiari vult Creator ille omnium, quo nullus alius Deus est superior. Hunc Abrahamo, Iacobo, & Mosi apparuisse, esseq́; Christum nostrum, ac à Creatore diversum numero, non sententiâ, esse, cum nihil unquam fecerit, nisi quod ipse mundi Creator, quo non est superior Deus alius, faciendum atq́; dicendum censuit. Ibiq́; multa ad hanc rem pertinentia habet, & Psal. 45. 110. aliaq́; Scripturæ loca huc allegat. Postea illum, qui Patriarchis conspectus Deus, angelus, & Dominus appellatur, ministrantem Patri universorum agnoscendum ait. Illum, qui Mosi in rubo apparuit, & se Deum Abrahami, Isaaci, Iacobi, profitetur, non esse istum rerum Creatorem ait, sed eum, quem, ut declaratum sit, Abraham & Iacob conspexerunt, ministrantem Creatoris voluntati, & exsequentem decretoriam ipsius contra Sodomitas sententiam. Cum Scriptura angelum domini apparuisse narrat, & mox Deum Dominumq́; fuisse significat, eum ipsum indicat, quem sæpè legimus ministrantem illi supermundano Deo, quo non est aliquis superior. Similia Apol. 2.

pro Christianis *habet.* Postea *expressè in principio ante omnes creaturas DEum ex seipso genuisse potentiam quandam rationalem ait, quæ & gloria Domini â Spiritu Sancto vocetur, Interdùm Filius, Sapientia, Angelus, Sermo, DEus, Dominus: Aliquando Magistrum militiæ se dicat, quando humanâ specie IEsu Nave filio apparuit. Omnia ista nomina ei convenire, eò quòd paternam voluntatem exsequatur, & ex Patre volente prognatus sit, aliter tamen, quàm natum videmus nostro seculo. Nam & nos sermonem mente conceptum proferimus verbis; absq; detrimento ejus, qui intùs conceptus est. Quale quiddam in igne videmus accidere, dum alius enascitur absq; detrimento ejus, unde accenditur, in eodem statu manentis, ut nihil inter hunc, & ex eo accensum differat, quandoquidem nihil decedit alteri.* Postea *locum* Prov. 8. *allegat, & Dominus creavit me in initio, viam suam ad opera sua, ait.* Postea *Deum locutum esse ad alium aliquem numero differentem & ratione præditum ex* Gen. 3. v.3. *probat, ac cum dicitur, velut unus ex nobis, & numerum, & ad numerum duos simul fuisse indicat. Non enim angelos allocutum,* sed hanc veram Patris progeniem ante omnes creaturas cum Patre fuisse, *& hanc Patrem alloqui ab initio ante omnes creaturas ex Deo prognatam, quam ipse Salomon vocet Sapientiam. Ita* Justinus ex *Antiquissimis Patrum hac de re loquens.*

Irenæus L. 2. C. hær. C. 48. *ait, Si quis dixerit, quomodo filius prolatus â Patre est? Dicimus ei,* quia prolationem istam seu generationem, s. nuncupationem, adapertionem, aut quomodo libet, quis nomine vocaverit, generationem ejus inenarrabilem extantem nemo novit, *non* Valentinus, Marcion, Saturninus, Basilides, *neq;* Angeli, Archangeli, Principes, potestates, nisi solus, qui ge-

neravit, Pater, & qui natus est, filius. Idem C. 49. *Deum Verbum suum unigenitum protulisse ait. Didicimus enim ex Scripturis, principatum tenere super omnia DEum.* Vnde autem vel quemadmodum emisit Verbum, neq; Scriptura aliqua exposuit, neq; nos factos mori oportet exponi omnibus propriis, (*Lectio corrupta est, sed sensus ex contextu facilè hauritur,*) infinita conjicientes de DEO, sed agnitionem hanc concedendam esse DEO. Ibidem *pluribus hoc persequitur, & DEO ac Verbo ejus credere nos oportere ait, Cum adhuc in terrâ conversantes nondum throno ejus adsistamus.* C. 3. *DEum Patrem Dom: nostri Iesu Chr. vocat, secundùm illud Pauli, Vnus DEus Pater, qui est super omnes.* L. 3. C. 1. *Apostolos & Evangelistas unum Deum factorem cœli & terræ à lege & Prophetis annuntiatum, & unum Christum filium Dei tradidisse nobis ait.* C. 6. *Verum Deum, qui dominatur omnium, ait patrem, & filium ejus, qui dominium accepit à patre suo omnis conditionis,* Psalm. 110. *Et utrumq; Dei Appellatione significasse Spiritum,* Psal. 45. *Et eum, qui ungitur, filium, & eum, qui ungit, id est, Patrem. Postea Paulum* 1. Cor. 8. *Separasse ait eos, qui dicuntur, non sunt autem Dij, ab uno Deo Patre, ex quo omnia, & unum Dominum Iesum Chr. ex suâ personâ firmissimè confessum esse.*

C. 8. Angelos & Archangelos ab eo, qui super omnes est DEus, constitutos & factos esse ait per Verbum ejus, *per quod facta sunt omnia, qui est Dominus noster Iesus Christus.* C. 1. *Iesum Dominum Christum, Patrem tantùm DEum & Dominum eum, qui solus est Deus & Dominator omnium, tradidisse Discipulis ait, quos sequi nos oporteat.* L. 4. C. 14. *In omnibus & per omnia unum Deum Patrem, & unum Verbum, & unum filium, & unum Spiritum, & unam fidem & salutem omnibus*

omnibus in eum credentibus esse ait. Lactantius l. 2. de origine err. C. 9. *Sicut mater, ait, sine exemplo genuit authorem suum, sic ineffabiliter pater genuisse credendus est coæternum. De matre natus est, qui jam ante fuit, de patre, qui aliquando non fuit.* (Perinde ac Arium locutum ferunt:) *Hoc fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare. Cum esset Deus ad excogitandum prudentissimus, ad faciendum solertissimus,* ante quàm ordiretur hoc opus mundi, produxit similem sui spiritum; *qui esset virtutibus Dei patris præditus. Quomodo autem id voluerit, in 4. docere libro conabimur.* Postea *plura subjungit.* Lib. 4. C. 6. *Deus machinator constitutorq; rerum, antequam hoc opus mundi adoriretur, sanctum, & incorruptibilem, & incomprehensibilem spiritum genuit, quem spiritum nuncupârunt. Et quamvis alios posteà innumerabiles per ipsum creavisset, quos angelos dicimus, hunc tamen solum primogenitum divini nominis appellatione dignatus est, patriâ scilic. virtute ac majestate pollentem.* Postea *eum esse ait, de quo Salomon: DEus condidit me in initio viarum suarum in opera sua ante secula.* C. 7. *Scire nomen ejus, non convenire hominibus, ne angelis notum ait, sed ipsi soli, & Deo patri: Nec ante id publicandum, ut S. literis traditum, quàm dispositio Dei fuerit impleta.* C. 8. *Inprimis se testificari ait, illum bis esse natum, primùm in spiritu, postea in carne.* Postea *filium Dei cum sit & ipse spiritus, tamen eum voce ac sono ex ore Dei processisse ait, sicut verbum, quia voce ejus Deus ad populum usurus fuerat, hoc est, quòd ille magister doctrinæ Dei futurus esset, & cœlestis arcani ad homines proferendi. Similia* C. 13. *habet.* Et C. 14. *Christum unum DEum docuisse ait, non unquam se Deum dixisse, sed cum mandata mittentis impleret, & regis summi honorem, & Dei nomen accipisse.*

Tertullianus co. Praxeam, Protulit, *ait*, *DEus sermonem, sicut radix fruticem, fons fluvium, Sol radium. Nec dubitaverim filium dicere & radicis fruticem, & fontis fluvium, & solis radium, quia omnis origo Pater est. Et dum filium agnosco, secundum à Patre defendo. Monarchia principaliter illius est, à quo communicatur in filium*. Plura ibidem *habet*. Idem Tert. *Filium DEI Verbum primò omnium emissum* L. d. præsc. c. hær. p. 92. *vocat*, Vt l. *1*. d. fid. Chr. C. 3. *adducam*. Idem L. d. Trin. C. *31*. *Si liber verè ejus est*, *non* Novatiani, *Vt alii censent*, *quanquam stylus valdè consentit: Est ergò DEus Pater omnium institutor & Creator. Ex quo*, quando ipse voluit, *Sermo filius natus est*. Idem con. Hermogen. *Sophiam Patris tàm genitam, quàm factam ait, nihilq́ interesse dicit, facta, an nata sit abyssus, dum initium illi detur*. Ibidem *Sophiam sine initio non fuisse, & Patrem filio antiquiorem esse, ipsam deniq́ Sophiam initium agnoscere ait, quæ dicat, dominus condidit me initium viarum in opera sua. Et fuisse tempus ait, cum & delictum, & filius non fuit, quod judicem, & qui Patrem dominum faceret. Sicut Pater per filium, sicut judex per delictum, ita & dominus per ea, quæ sibi servitura fecit, Deus factus*. Nec ideò Pater & judex semper, quia DEus semper. *Hanc* Arii *sententiam fuisse ajunt*, *Vt ex epistolâ* Alexandri ad Nicenos *patet*. *Sed ex* Tertulliano, Lactantio, & aliis Patribus *patet*, *antiquiorem Ario esse hanc sententiam, minimè ipsi ut primo authori tribuendam*. Clemens Romanus L. 8. constit. C. *16*. *Patrem immediatè ante omnia, quæ sunt, filium genuisse dicit, quod citat & probat* Gerhardus T. 1. L. Comm. de Trinit. t. *152*. Lactantius *aliquando non fuisse dicit*, *Vt* p. 27. *dictum*. Marius Victorinus Afer *λόγον æqualem Patri dicit, ut lumen de lumine, & inferiorem, quia Pater filio omnia dedit*,

dedit, & causa est filio, ut sit. L. 1. c. Arium. Theophilus Antiochenus *filium Dei genitum dixit, cum DEus Pater productionem mundi moliri voluit,* L. 2. ad Autolych. Genebrardus *ex Alberto recitat, Patrem solum invocari in sacrificio propter Patris authoritatem,* ap. Chamier. T. 2. L. 1. C. 2. t. 17. Origenes *Patrem majorem filio dixit* ap. Bell. 1. d. Chr. C. 10. Alexander *filio DEI mediam inter ingenitam Patris, & genitam aliorum Creatorum naturam, genitam nempè, tribuit,* ap. Theoret. ser. *1.* C. 4. Ita Veteres Patres *in hac materiâ processerunt. Et similia apud alios reperiuntur.* V. Echardum C. 5. Theol. Patr. Alii *Patrem solum DEum,* Joh. 17. *respectu principatus illius, quem in Deitate obtinet, dictum esse dixerunt, & sic locum istum explicârunt, Vt* Irenæus, Justinus, Lactantius, Tertullianus, *Vt ex parte* Calvinus & Erasmus *in istum locum annotant. Vnde de* Patrum Antenicenorum *& proximorum sententiâ in hoc puncto satis constare potest. Qualiacunq; tamen hæc sint, multa hic incomprehensibilia & abdita erunt ac supererunt, & quiescere in necessariis, ac in sacris clarè revelatis permanere, tutissimum Christiano est. Quod ex Neotericis etiam multi confitentur.* Vt t. 44. 45. *adducam.* Verba Scripturæ *hic sufficiant: Cætera hominum seponantur, ut contentionum campum ferè aperientia. Originem essendi & esse à Patre filius habet. Qualis essendi ratio in specie sit, doctiores disquirant.* Divina *est, & filius DEus de DEO est, ut* Nicæni *rectè ajunt. In specialioribus multa nos ignorare oportere certum est.* V. t. 39. *Origo filii eminentioris sortis, quàm ut in talibus specialibus humano intellectui explicabilis sit, Vt in ipsis naturalibus sæpè is vacillat,* t. 44. 45. *Pater DEus, sed inoriginatus: Filius DEus, sed originatus, secundus à DEO Patre, Vt* Tertull. *vocat, DEus de DEO, ut*

Niceni.

Nicæni. *Omnibus terminis & ſenſibus humanis majus eſt Myſterium. Itaq; in revelatis quieſcere tutiſſimum eſt. Pater dedit, filius accepit. Pater principium, filius à principio. Omnia, quæ Patris ſunt, filii ſunt,* Joh. 16. v. 15. *Sed ex principio Patris, qui vitam filio & omnia dedit,* C. 5. v. 26. C. 6. v. 57. C. 13. v. 3. C. 17. v. 2. *Potior autem aliqua ratio dantis, quam accipientis. Velut ſi Rex parem ſibi poteſtatem in regno filio det, Vt tamen ille dederit, hic acceperit.* V. t. 26. *Etſi Naturæ æqualitas benè maneat. Sic* Hilarius L. 9. d. Trin. Licet Pater major eſt *donantis authoritate: Non tamen filius minor eſt, cui unum cum Patre eſſe donatur.* Sebadius *Patrem majorem filio ait, quia ſolus author ſine authore eſt.* T. 4. Bibl Patr. p. 232. Fontalitas *& authoritas nihil aliud notat in divinis, quàm principium originis, ait* Thomas ap. Tanner. c. l. d. 4 q. 4 d. 1. *Eodemq; ſenſu ſecundùm prioritatem originis Patres aliqui, præſertim* Græci, *Patrem nonnunquam majorem vocârunt filio, ut videre eſt apud* Athanaſium ſer. 2. in Arian Baſilium L. 1. & 8. c. Eunom. Greg. Nazianz. Or. 35 ſeu 3. d. Theol Damaſcenum L. 1. d. fide, C. 4. Chryſoſtom. hom. 74. in Joh Origenem hom. 2. in div. Hilarium L. 9. d. Trin. ait Idem Tannerus T. 1. Th. Schol. d. 4. p. 1, d. 8. *Inq; eâ re non paulò liberiores Græci, ac Latini.* Idem n. 8. *Eſt in Patre authoritas principii, quæ non eſt in filio reſpectu Patris. Eſt enim filius à Patre, non contrà, ait* Bellarmin. L. 1. de Chriſto, C. 9. *Idemq; aſſerit* Gerhardus Exeg. de perſona Chriſti, t. 68. *Et* Bell. c. l. C. 10. ex Ignatio ad Phil. *excellentiam Patris filium confiteri ratione principii tantùm ait. Et Patrem ab* Ign. *ſolum dici DEum ſuper omnia propter principij authoritatem, non naturæ diverſitatem, addit.* Poſtea, *Pater eſt fons & principium aliarum perſonarum,*

& e

& eâ ratione majoritatem quandam habet, & hoc modo seipsum Tertull. explicat, ait. Maldonatus in C. 14. Joh. *Pater major filio est, etiam quà Filius DEus erat, non quidem reipsâ, sed hoc ipso, quòd ille Pater, hic filius.* Patris enim nomen est honorificentius nomine filii. *Et hoc est, quod* Scholastici *in Patre authoritatem, in filio subauthoritatem vocant, ait. Idq; approbat* Alstedius in suppl. de Eccles. L. 2. C. 9. t. 17. *Conf. quæ de* Comparativ. t. 18. 19. *adduxi. Simile quid* Toletus in C. 14. Joh. v. 28. *habet, quòd Pater major ratione originis, quam filius ab eo habet, non ipse à filio, non substantiæ inæqualitatis sit. Et* Athanasium, Basiliũ, Nazianzen. aliosq; *allegat. Pater est DEus primò & principaliter, quatenùs est principium & fons filii & Spir. S. Non autem hoc sensu, quòd sit naturâ vel dignitate ille superior, ait* Martinius L. 1. Theol. tr. 3. C. 7. *Filius est minor Patre, quatenùs generationis suæ authorem agnoscit Patrem, ut sunt verba* Ignatii: *Sed non est minor propter essentiæ unitatem, ait* Alstedius in dist. Theol. C. 3. t. 94. *Pater tota substantia est: Filius verò derivatio totius & portio, sicut ipse profitetur. Pater major me est, à quo & minoratus canitur in Psalmo modicum circa angelos. Sic & Pater alius à filio, dum filio major, dum alius, qui generat, alius, qui generatur, ait* Tertullianus c. Praxeam. *Dicendo Vnus Dominus Iesus, 1.* Cor. 8. *Supremum dominium Patri non denegat, ait Iesuita* Mazarinus Conc. 116. in Psal. 50. Botsaccus L. 1. Anticrel. C. 1. n. 12. *Affirmamus, positâ filii & Sp. S.* ὁμουσίᾳ *posse optimè intelligi Patris prærogativam &* ἐξοχὴν, *nam manet fundamentum hujus rei in reipsâ, nempè quòd pater sit principium filij ratione generationis.*

21. *Etsi* hæc de Trinitate *in hac caligine sufficiant: Vt tamen* manifestiora *sint, quæ hactenùs dicta, nonnulla, quæ moveri*

veri hic possunt, resolvenda erunt. Dices I. Quicquid est, aut Creator, aut Creatura est. *Christus non Creatura, t.18. E. Creator, & sic absolutè summus ille DEus, qui Pater.* R. 1. In entibus per naturam cognitis *sic dividere & inferre liceat. Christus ens meræ revelationis mysticæ est, de quo ex præscripto Verbi loquendum nobis, non proprio arbitrio. In illi autem genitus, non creatus, Nec directè Creator, sed Creatoris filius, per quem omnia à DEO creata, t. 18.19. Et sic aliquid DEI & ad DEum pertinens, vocatur. Ubi sistendum nobis & linguis Dei, non hominum in tanto mysterio loquendum, ac in revelatione permanendum est. Et hic* tertium *addi potest,* Aut Creatoris filius, ante secula à Creatore genitus, *per quem Creator omnia creavit in Cœlo & in terrâ, c.l. Sic peccatum originis est, & quidem ens positivum, Ut* Meisnerus qu. vexat. 4. Chr. Matthias Colleg. 2. Antiphotin. d. 1. t. 19 Brochmandus, aliiq; *disputant, nec Creator aut Creatura sed aliquid à Sathanâ ac homine introductum, ut ipsi volunt Ens in genere & præcisè sumptum, nec Creator, nec Creatura sed aliquid ad utrumq; indifferens est. Multa entia rationi sunt, notiones Logicæ, Rhetoricæ, Poëticæ, nec Creator aut Creatura. Infernus reverâ est: sed præparatum dicunt,* Matth 25. v. 41. *Non præcisè creatum.* 2. Meliùs *divisio entis in Creatum ac increatum seu non creatum proponitur, Et increatum longè latius Creatore dici possit. Sic figmenta, peccata non sunt creaturæ, nec statim creator. Cœlum novum creandum quid est, & sic adhuc increatum, non statim creator,* Esai. 65. 2 Petr. 3. V. d. med. rel. t. 13. 3. Christus *etiam Creator est, quia Pater per eum omnia in Cœlo & in terrâ creavit, visibilia & invisibilia* 1. Joh. 1. Col. 1. V. c. l. *Quomodo Scriptura in obliquo casu se explicat, per quem & secula condidit,* Hebr. 1. v. 2.

Et communiter ita de filio loquitur, Joh. 1. Ephes. 3. Colos. 1. Hebr. 1. *Vt pauciora loca ex pluribus hic explicari debeant. Quandoq; Patri Creatio tribuitur, quia is fons & principium omnium est, & sine ullâ ad alium subordinatione creavit, Vt nullus per eum creasse legatur, Et sic Patribus Creator dicitur*, t. 19. *Ac Scriptura præit*, Actor. 4. v. 24. 26. *Ac Symbolum Apostol. sequitur. Creat Pater per filium in Spir. S. In eodem opere alia operationis ratio in Patre, alia in filio ac Spir. S. Quomodo in redemptione simile quid est. Creatorem esse tribuitur Patri, ut ei, qui non habet virtutem creandi ab alio: Et potentia maximè manifestatur in Creatione, ideò Patri tribuitur, Creatorem esse, ait* Thomas p. 1. q. 45. a. 6. Vide & Cyrillum, Theophilactum, & Thomam in Johan. 1. v. 3. *Theophilactus Patrem filio mediatore ad Creationem, ut ita dicat, usum ait.* Basilius *Patrem causam Creat. primigeniam, filium instrumentalem dixit. Pater ceu fons actionum divinarum principatum obtinet in opere Creationis respectu ordinis ad reliquas personas.* V. Hutterum L. C. de Trin. C. 1. q. 3. pr. 9. Lutherus *filium instrumentum Patris in creando dixit*, Comm. in C. 1. Gen. Calvinus *filium impropriè Creatorem dixit, respectu personæ, cum illa ad aliam distinguitur & comparatur*, L. c. Val. Gentilem. *Et defenditur à* Chamiero T. 2. L. 1. C. 4. *An improprietas hic locum habeat, ambigo: Analogiam ordinis & originationis faciliùs agnoscam.*

22. 2. Christus *est DEus per Naturam, & Dijs nuncupatis contradistinctus*, t. 14. *E. eandem cum Patre essentiam habet.* R. Sic est, *& æquè essentialis Deus, ac Pater, est, quanquam genitus à Patre. De eodem numero, specie, modo, gradu, aut eminentiore modo, nobis non liquere possit, Vt res ipsa interim teneatur, non negetur aut impugnetur.* Nec enim impos-

sibile in divinis, *idem numero esse Patri & filio competere.* *Cum* convenientiæ *in Naturâ de ente & modis entis, animâ humanâ & facultatibus ejus, itemq; modis transcendentalibus in eâ, Vt finitudine, dependentiâ, Causalitate, & necessitate, reperiantur*, V.t.37. *Et in eo* Photiniani ac Arius *maximè peccant, quòd hoc præfractè negent. In eo* Val. Gẽtilis ac Tritheitæ *quod 3. numero essentias præcisè affirment.* V.t.36. *In arcanis Cœli hoc repositum esse queat, eoq; videndum aliquando in cœlis frustra determinandum aut curiosiùs inquirendum in terris. Propago DEI unigenita etiam naturam ex DEO habet. Sed non potest secundùm communem modum de omnibus in eâ affirmari specie, numero, gradu, genere idem, aut similiter. Quomodo in Naturâ Creatâ talia advertimus. Superens & supersubstantiam Deum vocant. Ita & superunum vocare liceat.* Si generationis modus *pateret, & hoc determinari posset. Sed is ad arcana Cœli pertinet*, t.19. DEus per naturam & inoriginatum *& à seipso absolutè existentem notat, qui esse nulli debeat, præterquam sibi ipsi: Hic solus Pater est:* Et proximè ab eo originatum ac propagatum, *propaginem aliquam inoriginati ante secula ab eo fusam, ab eo existentem, & esse illi a omnia debentem, Sic filius & Sp. S. etiam DEus per naturam sunt, quia ista omnia participant*, t. 19. 47. *Sicq; omnibus Dijs nuncupatis contradistingui possunt. Ipsi fideles divinæ Naturæ consortes dicuntur*, t.30. *Cur non magis intimæ illæ DEI propagines, ex DEO ante secula ortæ? In loco* 1. Cor. 8. *Pater pro DEO expresè determinatur, & Christus unius domini appellatione repræsentatur, quia is dominus & Christus à Patre factus*, Actor. 2. v. 26. *Ab omnibus dominis nuncupatis distinctus est, spiritualis nempè, & ipsam DEI potentiam ac imperium in V. & N.T. gerens*, t.17. *Qui & animam in gehennam perdere*

pendere possit, quod nullus terrestris potest, Matth. 10. v. 28.

23. 3. Christus *est Filius DEI propriè dictus*, Rom. 8. v. 32. *Sed talis semper ejusdem cum Patre suo est essentiæ*. V. Justinum in expos. fidei, *si liber verè ejus est*. R. Si ex naturâ *inductio formetur, est ejusdem essentiæ, sed specificæ, & numero aliam à Patre habebit, Vt in naturalibus, ubi aliam inductionem in genitis non habemus, quod de filio DEI affirmare non audent. Hujus generatio divina, supernaturalis, & incomprehensibilis est, & quî se res habeat, in omnibus specialibus dici non potest*, t. 19. 20. 22. *Filius secundùm communem naturam ejusq; processum in naturâ genitus, eandem cum Patre habet essentiam specificam, Vt homo, leo, canis, taurus, planta. Christus secundùm virtutem insolubilis vitæ genitus*, Hebr. 7. v. 16. *Modo toto genere à naturalibus diverso: Vbi quando Scriptura non præit, & ad specialia se demittit, sistendum & quiescendum nobis, non in hoc vel illud deflectendum*, t. 18 20. *In naturalibus sæpe cœcutimus. Quis hic omnia expediat?* V. t. 45. *Adumbrare aliquid tacente Scripturâ possumus, demonstrare nihil.*

24. 4. Ex nominibus, attributis, *operibus, & cultu divino in sacris Christo tributis, divina natura immotè in eo colligitur, non enim Deus gloriam suam alteri essentialiter à se diverso dabit*, t. 27. R. Ita est. *Quanquam & carni Christi talia à Lutheranis assignantur, quæ non tamen in essentiam Dei mutata, sed naturâ sui Creatura manet. Dei natura in Christo DEO omninò est*, t. 14. *Nisi quòd specialia in nonnullis abstrusa sunt*, t. 19. seq. *Sed etiam in naturâ propria quandoq; ac operationes aliis communicantur, Vt esse tamen distinctum maneat. Sic ferrum ignitum urit, Corpus animatum vivit, non statim ignis aut anima fit. DEus creaturam æternam facere potest, Vt de* Multipr. t. 79. *dixi, Et ad creandum eam elevare, Vt* Scholastici di-

spirant, Non statim DEus ipse fiet. Dependenter enim & aliundè ea habebit. DEus ex proprio: Et sic Pater, & quem is genuit, filius habent, proindeq́ DEus. Ac Scriptura ista omnia & DEO Patri tribuit, & filio, quod utrumq́ Christiano piè credendum, & in piâ istâ simplicitate acquiescendum est, Vtcunq́ omnes difficultates dissecare non possit.

26. 5. Talibus epithetis *nemo nisi DEus essentialis in sacris describitur. Cui ergò illa tribuuntur, talem Deum esse oportet.* R. Rectè. *Sed Pater ista habet à sese, & à nullo alio, filius ab alio & Patre, eoq́ est DEus, sed de DEO, & Iehova, sed à Iehova, lumen, sed à lumine, Vt* Niceni *loquuntur. Et in eo discrimen est*, t. 22. *Naturam DEI in utroq́ hoc relinquit. Sic filius hom. essentiam hominis habet, etsi à Patre communicatã, Pater non à filio. Ita filius DEI omnia à Patre se accepisse fatetetur*, Joh. 5. v. 19. 22. seq. C. 3. v. 35. C. 10. v. 25. 29. C. 13. v. 3. C. 14. v. 11. *Qui Pater omnia ei subjecit*, 1. Cor. 15. v. 27. *Vt excipiatur tamen, qui subjecit, & cui ipse filius tandem subjicietur, Vt omnia in omnibus DEus ille Pater tandem sit*, v. 28. V. t. 46. Conf. Joh. 17. v. 3. *Pater autem ab alio se quidquam accepisse negat*, Job. 41. v. 2. Psal. 50. v. 10. Rom. 11. v. 25. *Et in eo prærogativa Patris est, Vnde DEus, à quo absolutè omnia, vocatur*, 1. Cor. 8. v. 6. *Etiam ipse Filius & Sp. S. Sed ab his Pater non est*, V. t. 47.

27. 6. DEus *gloriam suam alteri à se diverso non dabit*, Esai. 42. v. 8. C. 48. v. 11. *E. Christum DEO parem esse oportet.* R. Omninò par est, *& aliquid Dei illius & ab eo ante secula est, & hactenùs non essentiâ diversus ab eo, ut idolum, Deus nuncupatus, aut simile quid, Vt* c. l. *additur, sed unigenitus DEI filius est, qui universam DEI gloriam sustinere potest*, t. 17. 18. 7. Si Christus *non per essentiam DEus, Metaphoricus*

ricus & nuncupatus tantùm erit. Sed proprius DEI filius est, Joh 10. v. 35 36. Rom 8. v. 32. R. Est DEus per essentiam, t. 22. Etsi de eodem numero aut diverso satis plenè constare non possit, t. 20. 35. Cui DEus proprium nomen, attributa, opera, & cultū attribuit, ille satis DEus per naturam & ab omnibus nuncupatis Dijs distinctus est. Et sic DEI filius, t. 17. Proprium Rom. 8. alieno opponi potest, Vt Christus non alienus, extraneus, insititius, & adoptivus Dei filius sit, Vt nos sumus, sed intimus, naturalis, & unigenitus, & ex DEO ante secula ortus, ex Mariâ per Spiritum Dei singulariter in seculo natus, quâ ratione nullus alius proprius Dei filius est. Quanquam communiter de propriè dicto filio explicatur, Vid. & t. 23. Et nobis nihil incommodat.

28. Dices: Si Christus non propriè dictus DEus esset, non verus DEus esset, quomodo expressè 1. Joh. 5. dicitur, t. 14. Tropicè enim dictum non verum est. Vt Herodes vulpes tropica, non vera est. R. In sacris etiam quod tropicè dicitur, verum vocatur, Vt Christus vera illa lux, Joh. 1. Evangelium verum lumen, 1. Joh. 2. Caro Christi panis de cœlo verus, Joh. 6. Verus ille cibus, sangvis verus ille potus, Joh 6. v. 55. Tabernaculum verum illud, Hebr. 8. v. 2. Et omnia ista tropicè tamē talia. Nyssenus peccatum verum serpentem vocat tropicum tamen, Vt Tract. de esu Eucharist. C. 2. t. 10. adducam. Sic Chr. verus pastor est, 1. Petr. 2 v. 25. Sed spiritualis & tropicè dictus, non propriè. Deus lux, fortitudo, & petra vera est, Psal. 27. v. 1. Sed Spiritualis, non Corporalis. Ita Consequentia Majoris negabitur. Sed & Minor hic negatur. Christus enim DEus per naturam, & sic propriè dictus est, ac essentialis, non tropicus, ut Dij nuncupati. V. t. 23.

29. 8. DEus proprius metaphorico oppositus nullus alius, nisi essentialis est. E. & talis DEI filius est. R. Est essen-

tialis.

tialis DEus, non accidentalis aut nuncupatus tantùm. Sed DEus proprius in Sacris partim independenter, *originaliter, absolutè summus ille, à quo omnia in cœlo & in terrâ, ipse à nullo, & qui etiam Christi DEus est*, Joh. 20. v. 17. *Qui Solus Pater est*, Joh. 17. 1. Cor. 8. Partim dependenter, *originaliter, respectivè summus, à summo & sub summo proximus repræsentatur, Deus de Deo, & lumen de lumine*, t. 26. 47. *Propago inoriginati illius DEI, & hic DEI filius ac Christus noster est. Vterq; verus & propriè dictus DEus est: Sed hic modo originato, ille absolutè sine ullâ origine à seipso*, t. 22. 26. 47.

30. 9. Fideles divinæ *naturæ consortes dicuntur*, 2. Pet. 1. v. 4. *Cur non proprius DEI filius?* R. Eo sensu, *quo fideles ita dicuntur, multò magis Christus sic dicendus, sanctitatis, puritatis, fugæ vitiorum & voluptatum ratione*, v. 3. 4. 5. *Sed fidelibus ipsum esse divinum ob id non inferes, quod DEI filio largimur.* Naturæ *vox sæpè attributa in re notare solent, non essentiam ejusvè constitutionem aut rationem. Sic* Natura Solis *moveri, calefacere, influere, vegetare, lucere, Leonis rugire, equi hinnire, non præcisè essentia.* Natura DEI *impios punire, hominis erectâ figurâ incedere, loqui, flere, canere, Natura avis volare, non essentia.* Naturale *homini post lapsum peccare, non essentiale. Vnde inter naturale ac essentiale quidam distingvunt, Vt* Daneus l. 1. Isagog. Christia. C. 5. Et co. Chemn. p. 13. Affelman. in locust. Calv. n. 51. *Naturæ nomen pro qualitatibus rei naturalibus sumitur, ait* Gerhandus T. 1. L. C. de Patr. & fil. t. 3. *Attributa autem Christus divina habet, Authoritatem, imperium, cultum*, t. 17. 18. *Omninò ergò per naturam DEus. Sed & essentiam ex DEO habet, Vnde & essentialis DEus est*, t. 14.

31. 10. Christus unum *cum Patre dicitur*, Joh. 10. v. 30.

Omni

Omnia etiam, quæ Pater habet, habere, C. 17. v. 10. *Quæ Pater facit, & ipse pariter facere*, C. 5. v. 19. E. *& unum essentiâ*. R. Est unum *essentiâ, sed modus unius nobis dici non potest, nec is additur. Etiam cum fidelibus unum est*, Joh. 17. v. 11. 21. *Et hic locus de solâ unione affectuum inter fideles agit, ait* Hulsem. C. 14. t. 1. brev. extens. *Nec eandem numero essentiam inde colligimus. Fideles N. T. unum cor & anima*, Actor. 4. v. 32. *Nec una numero essentia infertur. Plantans & rigans unum sunt*, 1. Cor. 3. v. 8. *Fideles unus in Christo sunt*, Gal. 3. v. 29. *Qui Domino adhæret, unus spiritus cum eo est*, 1. Cor. 6. v. 17. *Nec unum numero esse tamen.* Unum *variis modis dicitur, nec à genere ad determinatam speciem ritè proceditur. Est unum cum Patre Imperio, nomine, opere, cultu*, t. 17 18. *Etiam essentiâ, quamvis modus lateat. Omnia opera patranda à Patre tradita habet*, Joh. 5. v. 26. C. 10. v. 25. 32. C. 14. v. 10. 11. *Vt videns ipsum Patrem videat, cum ipse in Patre, Pater in ipso sit*, C. 14. v. 1. 9. seq. *Character & expressa figura substantiæ Patris, & imago DEI invisibilis sit*, 2. Cor. 4. v. 4. Colos. 1. v. 15. Hebr. 1. v. 3. *Hic ad modum unius ex sacris eruendum sufficit, etiamsi de reliquis constitui non possit. Locus* Joh. 10. *de uno in potestate defendendi oves loquitur, Vt Contextus docet. Et* Alstedius Syllog. dem. l. 6. t 9. *Dicuntur unum scil. potentiâ sive manu, ait. Et quòd ibi de unitate potentiæ sermo sit, patet ex contextu. Et sic etiam* T. 7. Gies. d. 12. t. 22. 23. Toleto in C. 10. Joh. aliisq; *explicatur. Eadem sententia* Hilarii, Leontii, Theophilacti ap. Maldonatum in h. l. *Qui & ipse non dissentit, & v. 31.* Tertullian. L. c. Praxeam, *Vnum neutrali verbo dictum non ad singularitatem, sed ad unitatem, similitudinem, conjunctionem, dilectionem Patris, qui filium diligit, & ad obsequium filij, qui vo-*

luntati

luntati Patris obsequitur, pertinere ait, non Deum ipsum ve Patrem intelligi, sed quà filium Dei Deum se ostendere ait, quò verba legis alleget. Charroneus locum illum ad τὸ ὁμοούσιον probandum verisimilitudinem obtinere ait, at sufficientem no esse, Verit. 3. C. 2. Vnde Papistæ ad traditionem confugiunt.

32. II. Tres testes in Cœlo unum dicuntur, 1. Joh 5. v. 7. Quod maximè de essentiæ unitate, ut summo gradu, ac cipiendum. Nam genere, specie, consensu, testimonio, nimis vi lia sunt. R. Unum generaliter dicuntur, Modus unius non exprimitur. Nec tàm specialem rationem, Vnam numero essentiam pro generali assignare licebit. Mysticus & latens hic modus esse, Eoq; exprimi non possit. Divina ac mirabilis unitas esse queat, V. t. 46. Nisi unitatem testimonij & veritatis, in quam omnes 3. testimonio suo conspirant, intelligas, commodè i Contextu toto insinuatam, Quòd omnes in unam veritatem con sentiant, Prout & quidam admittunt, qui unitatem essendi alià intelligunt, Vt Cor. à Lapide, Muthesius, & alii in h. l Maldonat. c. l. Et fragmentum glossæ ordinariæ ita interpretatur, hoc est, de unâ re testantur. Similiter Erasmus Hemmingius, aliiq;. Cyprianus ad unitatem Ecclesiæ & credendi applicat L. d. unit. Eccles. Sed correctissima exemplaria, Vt Regia, Antverpiana, & Complutensia, εἰς τὸ ἕν εἰσι, in aliquod vel istud unum sunt, legunt, Vt sensus ad unum divinum pro veritate fidei testimonium congruè inclinet. Sic & testes terreni unum sunt, & sic in quibusdam exemplaribus absolutè vocantur, sensu nempè, testimonio, & veritate, nec indè unum numero esse quisquam colligit. Imò hic modus unius cum altero in toto Codice N. T. ne unicum exemplum habet, semper alius intelligitur, t. 31. Quis hic de tàm inusitato modo constituere velit? Sic de civili judicio dicam: Tres testes adduxit,

duxit, sed omnes unum fuerunt, hoc est, unum idemq; testati sunt. Nemo unum numero esse hinc colligit. An inde sequi tandem cogatur, controversum Adversario, *eoq; suspectum manet.*

33. 12. Tali modo *porta aliqua ad* Arianismum, Phothinismum, Tritheismum, *aperiri poterit, qui Christi deitatem destruunt.* R. Totum *calumniosum id est, cum magnum hic discrimen sit.* Nihil *hic negatur, sed quædam præscinduntur, relinquuntur, & inter incomprehensibilia collocantur, quod multum à negare differt*, t. 22. Photiniani *è Nativitate ex Mariâ demùm cepisse DEI filium, antea nihil fuisse, & post exaltationem demùm Deum factum ajunt. Nos ex generatione ante secula, & in V. T. Et ante mundum jam fuisse, & ipsam naturam Dei jam habere dicimus*, t. 14. 17. seq. Ariani *Christum Creaturam dixerunt principio conditam, per quam reliqua creata, Patre inferiorem, tempore posteriorem, adoptivum DEI filium, nec divino honore colendum, nec perfectè Patrem agnoscere, nec arcana ejus novisse, libertate suâ in bonum & malum proclivem fuisse, & similia dixerunt*, ap. Gerhardum T. 1 d. Patr. & fil. t. 188. *Omnia hæc Nos negamus.* Conf. t. 22. De Tritheismo t. 36. seq. *patebit.*

34. 13. Tres sunt, *quorum quisq; in Sacris Deus dicitur, & tamen simùl unus DEus dicitur. E. tres isti sunt unus ille Deus.* R. 1. Negatur Consequentia. *Quia Scriptura vocem DEI de tribus usurpans, eandem ad unum inter eos passim & expressè determinat, Patrem, ex quo omnia*, 1. Cor. 8. V. t. 47. *In quo nobis manendum.* 2. Tres sunt, *qui Deus dicuntur, Sed modo tamen aliquo diverso.* Pater *DEus, sed absolutè à quo omnia*, 1. Cor. 8. Filius *DEus, sed ut DEum habeat*, Joh. 20. Sp. S. *DEus, sed ut DEI sit, & à Patre procedat*, Joh. 15. 1. Cor. 6. *Quomodo nunquam Pater Deus vocatur, ut Deum*

adhuc habeat. 3. Etiam *tres isti unus DEus esse possunt, quia Deus & Dei sunt, eoq; aliquid in uno illo DEO sunt*, t. 46. 47. *Sed Pater Principium, fons & origo omnium est, & ab hoc proximè velut processiones ejus sunt Filius & Sp. S. Qui etiam Deus, Ut tamen à Patre distinguantur. Sed de unâ numero essentiâ non statìm hinc constitui potest, Cum inter non determinanda id referri queat. Sic 3. homines pari modo homines dicuntur, Gabriel, Michaël, & Raphael, pari modo angeli: Nemo eandem numero essentiam inde colliget aut deducet. Pater Deus dicitur, sed ut à nullo alio sit. Filius DEus, sed ut Deum adhuc habeat: Sp.S. Deus, sed ut à Patre procedat, Quomodo Pater nunquam DEus vocatur.* V. t. 20. 37.

35. 14. Si essentia filii *numero diversa à Patre, jam duæ essentiæ divinæ sunt, & Tritheismus* V. Gentilis *sequitur.* R. Sed non dicitur numero diversa, *sed totum hoc tanquam specialis aliqua ratio inter arcana Cœli reponitur*, t. 19. 20. *Non liquet, & piè venerando de his magis cogitandũ, quàm curiosè rimando discutiendum. Filius angelus faciei Iehovæ est*, t. 17. 44. *In quo quiescendum, & consequenter tritheismus nullus hinc sequitur. Secundus à DEO Patre filius est, Sp. S. tertius, veréq; Deus & divinum quid est*, t. 47. *Quod nobis scire ad salutem sufficit.* Cœtera *Deo patent, eiq; committenda.* Marius Victorinus *Patrem, Fil. & Sp. S. ter substantiam dixit*, hym. 3. p. 225. T. 4. Biblioth: Patr. *Sed meliùs ab eo abstinetur.*

36. In tritheismo *tria entia summa & independentia 3. Spiritus æterni & essentiatores statuuntur, sic enim Gentilis sensit, Ut historia ejus habes*, C. 1. &. 16. *Differentes species Patrem & filium etiam secundùm essentiam, filium tempore posteriorem Patre, Patrem solum adorandum DEum dixit, & vocem Dei ad solum Patrem restrinxit*, Ut c. l. C. 10. 20. *dicitur. Quæ omnia*

omnia Nos erronea censemus. Vnum independens est, *Pater, Cujus filius & Spiritus propagines sunt, & de independente participare possunt, prout terminum sumas,* t. 29. 39. 46. 47. *Vnus Spiritus æternus est, non tres. Sed duæ propagines ab illo,* t. 46. 47. *Vnus essentiator est, non tres, & filius ac spiritus à Patre essentiam & originem habent. Generum & specierum differentia nulla hic, nec filius tempore posterior est. Eminentia enim hæc sunt, & genera, species, tempora omnia, transcendunt.* Ante secula *jam natus filius, Vbi tempora exspirant.* Dei vocem *expressè in sacris etiam Filio & Sp. S. assignari, videas,* t. 12.14. *Cultus divinus Filio apertè tribuitur,* t. 17. *Qui eum derogat, blasphemus est.* Gentilis *etiam blasphemasse dicitur, Vt historia* Gentilis C. 18. *narrat, à quo in tantis mysteriis Nos omninò abstinendum putamus. Multa enim ἄρρητα hic intercurrere possunt, quæ nos nunquam comprehendemus aut explicabimus.*

37. 15. Pater DEus, *Filius DEus, Sp. S. DEus. E. omninò 3. Dij.* R. 1. Scriptura *unum Deum Patrem vocat, non tres,* 1. Cor. 8. Joh. 17. *Etsi filium & Sp. S. etiam Deum vocet,* t. 12. 14. *Aliqua tamen Patris prærogativa est, quia omnis origo Pater est,* t. 20. 25. 26. 29. *In quo nobis manendum, & cum Scripturâ loquendum est. Et hoc tantùm inde sequitur, E. tres Dij,* vel *ista tria unus ille Deus esse possunt. Sic unum est ens, bonum & verum est ens: Non tamen tria entia, sed* ista tria unum istud ens sunt, *Identificant enim attributa sibi ens, non multiplicant,* V. Tr. de ess. alicu. s. 1. t. 16. *Sic* finitudo, *dependentia, & causalitas,* tres modi *realiter diversi in animâ, non tres animæ, sed una anima.* V. t. 22. Intellectus, *voluntas, memoria,* Scoto *una anima, non tres sunt. Et sic à tribus, qui DEus dicuntur, non statim tres Dij concludendi, cum una numero essentia trium esse possit, nec hoc planè hic negetur,*

Vt Photiniani *faciunt*; *sed non satis liquere in hac caligine censeatur*, t. 20. 22. *Et essentia ista peculiari aliquo modo in Patre est*, *inoriginatè*, *à seipsâ*, *non derivatè*, *Vt unus Deus Pater ille dici possit*, t. 20. 22. 29. *Et stilus Scripturæ N. T. à Christiano hic servari debeat*, *non tres Dij dicendi sint*, *quicquid consequentiis stolidæ rationis hic videatur*.

38. 2. Si filius & Sp. S. DEus, separatìm nempè, *seorsìm*, *divisìm*, *& extra citraq; DEum Patrem ac sine eo*, *tùm tres Dij erunt*. *Sic enim de subjectis* separatìm extra se & divisìm *existentibus dicimus*, *tres homines*, *angelos*, *leones*. *Sed filius DEus*, *verùm in DEO Patre*, *& ab illo*, *& Pater in Filio*, Joh. 14. v. 9. 10. seq. *Spiritus Deus*, *sed etiam in DEO Patre*, 1. Cor. 2. v. 10. seq. *Quia ab eo missus in corda fidelium*, Gal. 4. v. 6. *Quem à DEO habent*, Act. 5. v. 32. 1. Cor. 6. v. 19. *Hi propagines à Deo Patre*, *emanationes*, *& processiones ex eo ante secula fluentes indeq; pendentes sunt*, *in eum velut unum & originem suam mirabili modo redeuntes*, *Vt tres in unum mirabile sint*, *cujus modum specialem dicere non est*, t. 32. 46. *Sed in his tutissimè in hac caligine quiescamus*.

39. 16. Si filius *non est spiritus independens*, *non est essentialis DEus*. *Sic enim DEus à Philosophis definitur*. R. Nempè eo modo, *ut prorsùs inoriginatus & à seipso sit*, *non est*, *sic enim solus Pater Deus est*. *Et hoc sensu Deus spiritus inoriginatus dici queat*. *Filius autem Deus*, *sed originatus a Patre & sub eo*, t. 22. 26. *Verùm hoc essentialem Deum non tollit*. *Perindè ac si dicas*: *Petrus ortus est à Patre suo*, *ac ab eo pendet*. *Non ergò essentialis homo*. *Quomodocunq; dependere non statim naturam DEI tollit*, *sed inoriginationem tantùm*, *primitatem*, *à seipso existentiam & inderivationem*, *ac DEum inoriginatum taliq; modo sumptum tollit*. *Cum autem Scriptura Deum & Patrem*,

trem, & filium ejus vocet, Christiano in eo acquiescendum, & utrumq; credendum est, t. 22. 26. *Meliusq; definitio* DEI Spiritus inoriginatus & à seipso existens, *quàm independens, formaretur, de quo* alibi *fortè*. V. t. 46. 47.

Dices 1. Om. dependens *creatum est. Sic filius creatura fiet, quod Arianum.* R. Nego antecedens. *Dependet aliquid* vel in seculo, *quod ibi demùm per Creationem esse accepit, hoc creatum est, ut angeli, còrpora naturalia, mundus, & quæ in eo, Vbi & concreata comprehendenda, Vt accidentia in subjectis, quæ ab illis pendent, ut quantitates, qualitates, &c.* Vel ante secula, *per mirabilem à* DEO *emanationem, Vt Filius & Spiritus* Dei, *& hæc orta ac originata esse possunt, Creaturæ fieri non necesse habent, DEus & aliquid* DEI *esse possunt.* Originatum ab originante, *principiatum à principiante, fluvius à fonte, processio à radice, emanatio à fundente, genitura à gignente, spiratura à spirante, ortum trahunt, & sic generaliter pendere indè dicuntur, non creaturæ statim fiunt.* Et Veteres ac recentiores *dependentis terminum de DEI filio adhibuerunt.* Christ. Matthias Coll. 2. AntiPhot. ex. *3*. t. 27. Elerus d. 11. Pneumat. t. 9. Alstedius C. 16. Metap. p. *1*. Et Th. Didact. s. 1. C. 30. t. 8. Et Theol. Polem. p. 3. q. 2. Botsaccus L. 1. AntiCrel. C. 1. n. 10. Vbi & s. 2. C. 2. n. *3*. *ratione originis ac ordinis dependentiam quandam agnoscit*, Compacchius C. 15. Meta. Vorstius p. 2. c. Sladum. t. 14. *51*. Mazarinus Conc. 115. in Psalmum 50. Arriaga d. 7. Phys. 1. Feluvinger in def. Grauveri, t. 85. 93. Chamier T. . L. *1*. C. 6. t. *16*. *Et virtute vocis imaginis etiam admittit* Tummius impi. Phot. loc. 5. n 1. *Et relatum à correlato, q; hoc ab illo pendere communiter dicitur, Vt* Metaphysici *dicent, Et decreta Dei à Deo pendere dicuntur, Vt* Elerus &

Matthias

Matthias c.l. *loqvuntur, Omnipræsentia ab infinitate, Vt* Castaneus in distinct. *notat, ac terminus dependentis latissimè sumitur, Vt in* Metaphys. L. 1. C. 6. *notatum. Scriptura Filium omnia à Patre habere, nihil à seipso facere posse asserit,* Joh. 5. v. 19. seq. *Sicq́; dependere innuit, in quo Christianus sistere potest, Vt simul essentialem DEum tamen credat. 11.* Si filius dependens, *non eandem numero essentiam cum Patre obtinere potest. Semper enim dependens numero aliud esse ab independente habet.* R. Negatur & hoc. *Vnum, verum, bonum, ubicatum, & attributa entis ab ante, finitudo, causalitas, ubietas animæ ab animâ dependent, ens autem & anima ab illis independens est, eandem tamen numero essentiam cum ente & animâ habent.* Dependentia uni numero essentiæ *non obstat, Velut nec originatio aut subordinatio, si omnia specialiter hic liquere possint,* t. 37. *Sed dependentia hæc quia entis prorsùs extraordinarij & singularis est, etiam quomodo se habeat, ex Scripturis tantùm est hauriendum, & in eo quiescendum, Metaphysicis subtilitatibus aliò amandatis. Sivè ad eas quadret, sive minùs.*

40. 17. Si Christus *non eandem naturam, quam Pater habet, nec æquè ut Pater honorari potest.* R. Habet eandem *naturam, eoq́; eodem cultu divino afficiendus est,* t. 17. *Quicquid de specialitatibus sit, quas ratio hic movit,* t. 22. seq. 18. Æternum *summus ille Deus est. Sed Christus æternus,* Esai. 9. v. 6. Mich. 5. v. 2. *Ergò.* R. Æternum, *ut simul inoriginatum & absolutè à seipso, non ab ullo alio sit, summus & absolutè inoriginatus ille Deus est, qui solus Pater. Filius æternus, sed ut originem & derivationem à Patre agnoscat,* t. 39. *Mundus ab æterno esse potuit, nec tamen DEus fuerit.* V. d. multipræs. t. 79. *Multi Patres angelos diu ante mundum conditos dixerunt.* V. Michaël. t. 18. *Nec Deus statim. Ante secula filius genitus,*

quando

quando Pater voluit, & hoc Esai. 9. Mich. 5. ostendatur, V. Natal. t. 6. 20. Et Spiritus S. spiratus, t. 20. Hic sistendam. V. defens. Iren. p. 1. t. 23. Æternum & summus ille Deus, & proximæ ab eo propagines ante secula deductæ sunt, genitura & spiratura Patris, Vt Scriptura insinuat, in quo Nos satis habemus.

41. 19. Christus hodiè à Patre genitus dicitur, Psalm. 2. v. 7. Quod non aliud, nisi ab æterno esse potest. R. Sit ita, nihil nobis incommodat. Sed τὸ hodiè aptè ad tempora N. T. accommodatur, ubi Deus ita prædicari facturus dicitur, quòd iste ex Mariâ per Spiritum Dei genitus, Christus, filius ejus sit, quem hodiè, id est, in plenitudine temporis, sub N. T. Gal. 4. v. 4. genuerit. Et contextus non repugnat, qui de N. T. temporibus vaticinatur, ac Apostoli Actor. 13. v. 32. seq. allegant. Si duo in isto vaticinio comprehendi dicas, & quòd exhibuerit illum Deus, de quo Psal. 2. dictum, & quod à mortuis suscitâvit, etiam Nobis non repugnat. 20. Christus æquè peccata remittit, ut Pater. Hinc enim blasphemiæ reum agunt Pharisæi, quòd ut Deus remittat, Luc. 5. v. 21. E. & æquè Deus, ac Pater. R. Æquè Deus est, quod esse spectat, ut ordo tamen & attribuendi ratio distincta servetur, t. 22. Potestatem, authoritatem, ac judicium omne filius à Patre accepit, Joh. 5. v. 22. Eoq; & potestas remittendi peccata pertinet, Matth. 9. v. 6. Luc. 5. v. 24. Itaq; de Deo ea dicitur, Mich. 7. v. 18. Et de DEI filio, cui Deus potestatem in universam carnem dedit, Joh. 17. v. 2. Quiq; eo nomine remissionem peccatorum omnibus gentibus prædicari jussit, Luc. 24. v. 47. Actor. 10. v. 43. Et Christus ut filius hominis est, etiam peccata remittit, Matth. 9. v. 6. Nec tamen ut talis, summus ille Deus est.

42. 21. Christus est ille DEus, quem Israëlitæ in deserto tentârunt, 1. Cor. 10. v. 9. Sed tentationis objectum semper

DEus

DEus, *nulla creatura est*, Exod. 17. v. 2. Num. 14. v. 22. Deut. 6. v. 16. *Ergò*. R. Etiam *Aaron ab illis tentatus*, Deut. 33. v. 8. *Nec tamen essentialis Deus. Tentationis objectum* vel est ultimatum, *summus ille DEus, Pater*, Vel intermedium, *angelus ill , in quo nomē Dei fuit, qui præcessit & comitatus Israëlitas, omniaq; nomine, authoritate, vice, & loco Patris apud eos peregit*, Exod. 23. & 33. Deut. 31. v. 3. V. t. 18. *Ac Christus fuit*, 1. Cor. 10. v. 4. *Quem tentando consequenter ipsum Patrem tentârunt*: Et *qui etiam DEus est, quem revereri debuerunt. Sic qui Regium legatum in negotiis regiis ludificatur, ipsum regem ludificatur, quia nomine, authoritate, vice, & loco ejus ille omnia peragit.* 22. Creatio *æquè in Sacris filio & Sp. S. tribuitur, ac Patri*, Psal. 33. Joh. 1. Col. 1. Hebr. 1. V. t. 18. *Sed hæc semper summo illi DEO tribuitur.* R. Summo *illi DEO tribuitur originaliter, sine subordinatione ad alium, qui per eum creârit, & prorsùs independenter*: Filio & Sp. S. *originatè, subordinatè, & dependenter ad Patrem. Vnde & per filium creasse DEus legitur*, t. 21. *Sed nusquam alius per DEum Patrem creasse legitur. Per communicationem à Patre Filius & Sp. S. Pater sine ullâ ab alio communicatione creavit. Et sic creatio & Patri, & proximis ejus propaginibus, filio & Spiritui adscribitur, quæ summum illum DEum, vel aliquid summi illius Dei & ad eum pertinens esse oportet, genituram & spiraturam ejus*, t. 46. *Quod verum, & hic conceditur.*

Dices: Ordinem ista *res infert*; *Vt Filius & Spir. à Patre sint, non autem Pater ab illis.* R. Et ordo iste *subordinationem ac dependentiam aliquam à Patre inferre potest, quà & totum esse suum filius & Sp. S. à Patre habent*, t. 20. *Quod aliquantò plus, quàm nudum ordinem dicit*, t. 22. 29. *Et licet absolutè Creatio omnibus tribus adscribatur, nondum indè numero* unum

unum esse præcisè colligitur. Trium hominum una operatio, tractio currus, missio alicujus: Non una numero essentia. Et quî hic se habeat, non liquere possit, t. 22.

43. 23. Solus Pater est verus DEus, Joh. 17. v. 3. E. *non filius aut Sp. S.* R. Antecedens *ibi non dicitur, sed longè aliud, si Logicè resolvatur, Patrem esse unum vel solum illum verum Deum, ut exclusiva ad prædicatum, non subjectum pertineat, Vt in* Log. *de exclusivis dixi: Et licet dicatur, ineptè tamen excludantur, quæ sunt in Patre, ut Filius Patris & Spiritus, quæ aliquid in Patre & ab eo, non extra eum & aliena ab eo sunt. Sic solus Pater est Deus, non dices, E. non Omnipotentia, Sapientia, Iustitia, bonitas, infinitas ejus, quæ à parte rei omnia DEus & intimè in DEO sunt, ut* dec. 1. Misc. dis. 4. *dixi: Sed oppositè ad extranea à Patre colliges, E. non Creaturæ, idola, commenta, Dij ficti, nuncupati, & similia, veus DEus sunt. Sic, solus homo est rationalis. Non dices, E. non anima, voluntas, memoria ejus. Hæc enim aliquid intimè in homine:* Sed oppositè ad aliena *& extranea ab homine dices: E. non bruta, pisces, aves, insensata, picturæ, statuæ, & similia. Solus homo ex animalibus discurrit. Non dices, E. non anima, Spiritus, intellectus hominis, quæ intimè in homine: Sed ad aliena ab homine flectes, E. non bruta.* 24. Quid ergò ante incarnationem Christus fuit? *Aut finita ejus essentia, aut infinita fuit. Et sic ipsa DEI essentia.* R. Hoc fuit, *quod Scriptura eum fuisse dicit, ut Nos ultrà enuntiare aut definire nequeamus, nec teneamur.* Si Vetus Test. *consulas, Angelus faciei Iehovæ Patris*, Gen. 48. v. 16. Esai. 63. v. 9. Angelus Jehovæ, Exod. 3. v. 2. C. 23. v. 20. 23. C. 33. v. 2. Judic. 13. v. 3. 9. 16. seq. *Angelus fœderis*, Mal. 3. v. 1. *Et Princeps militiæ Iehovæ*, Jos. 5. v. 17. *Deiq; filius fuit, cujus nomen dicere non est*, Prov.

30. v. 4. Si Novum, *Verbum Dei & unigenitus ejus filius*, Joh. 1. *Character substantiæ Patris, splendor gloriæ ejus, & imago DEI invisibilis*, t. 31. *fuit, quorum sensus inquirendus, & in eo quiescendum, donec ad meliorem contemplationem in Cœlis admissi fuerimus, Ubi plura videbimus, in quibus disquirendis frustra hic desudamus.* Aliquid in essentiâ illâ infinitâ fuit, Verbum, *Character, Imago, & splendor substantiæ Patris, quorum specialia nos exhaurire non valemus. Omninò essentiam Filius habet, & ex Deo quidem ante secula, non creatura in seculo demùm facta est. Eâ & Deus, & filius, & à Patre distinctus est. Nisi quòd omnium ratio à nobis specialiter reddi non potest, & arcana Cœli frustrà in hac caligine inquirimus. A Creaturis esse illud longè distinctum esse, certum est.*

44. 25. Unum & non unum *termini verè Contradictorij sunt, & simùl non consistunt. In DEO est unum & non unum, quia trinum. E. in DEO termini verè contradictorij, & simùl non consistunt.* R. 1. Unum & non unum secundùm idem, eodem modo & respectu dictum, *verè Contradictoria sunt. Sed non ita in DEO, Ubi unum in essendo, sed trinum in subsistendo, adeoq; diverso respectu dicitur, inter quæ aliquod saltem & modale discrimen est, ut alibi docetur. Et sic Contradictio legitima non est. Quia tamen tacitam principij petitionem hic esse* Photiniſtæ *dicere possint, Ideò R.* 2. Unum & non unû, τὸ unum in infinitum negando, *ut negatio nuspiam sistatur, nec determinati quid contrà ponatur, sed nudè in negando maneatur, sunt vera Contradictoria, Ut ens, non ens, homo, non homo, leo, non leo, hircus, non hircus, τὸ Ens, hominem, leonem, hircum, in infinitum negando, nuspiam sistendo, Ut non pro non ente modum entis, qui certo modo non ens dicitur, pro non homine Deum, non leone pardum, non hirco cervum determinatè*

minatè ponas, sic enim non ampliùs Contradictoria manent, *& quoddam subjectum Deus & homo, quoddam animal leo & pardus, hircus & cervus simùl est*, Vt de modis prædic. s. 2. t. 8. Et de Opposit. s. 1. t. 25. Et de Conciliat. t. 8. 9. *ostensum.* Jam minor, *in DEO est unum & non unum*, τὸ non unum in infinitum negando, *nuspiam sistendo, nequaquam, nec quisquam* Trinitariorum *hoc unquam dixit*, sed non unum determinatè negando, *ut* trinum *contrà specialiter ponatur, & DEum unum essendo, sed trinum subsistendo dicas, non autem non unum indifferenter dicas, sub quo & millenum ac centenum subsumere possis, in quo nulla vera Contradictio Logicè spectando ampliùs residet.*

Idem ad hoc *respondendum*: Prædicatum purè Contradictorium *nullâ limitatione conciliatur subjecto. Non unum est præd. purè Contradictorium uni. E. nullâ lim. concil. subjecto, DEO.* Major *sic capienda, Præd. purè Contr. In quantum tale est & manet, nullâ lim. con. sub.* Minor ita, *Non unum, in infinitum scil. negando, est prædicat. purè Contradictorium uni. E. hoc sensu nullâ limitatione concil. subjecto, Vni. Sed nec hoc sensu non unum de DEO ab ullo Trinitario unquam affirmatum est, ut ante visum. Plura* de Contradict. s. 1. t. 22. 41. 42. 50. seq. S. 2. t. 7. seq. 41. Et de Oppos. Enunt. s. 1. t. 50. seq. *de hoc dicta.* Scriptura DEI Filium & DEI Spiritum magnam partem à posteriori *describit & repræsentat*, per nomina & appellationes, proprietates, operationes, officia, adumbrationes, *&c. Hoc Nobis expedit, & ad salutem sufficit. His contenti esse & quiescere debeamus. Sed* Nos *pleraq; à priori inquisivimus, de naturâ, essentiâ, existentiâ, subsistentiâ, personâ, formali ratione, activâ & passivâ generatione, distinctione, oppositione, quæ intrinseca in DEO, & ad esse velut vergunt,*

eoq; in multis hæsimus & defecimus, & rem plenè in hac caligine non expediemus. In ipsâ creatâ naturâ, mineralibus, metallis, plantalibus, animalibus, ſtellis, elementis, cœleſtibus materiis, *nihil à priori ſcimus, aut ullius eſſentiam ac ſubſtantialem formam ſpecificè determinare poſſumus, nec ullam formam à priori cognoſcimus, Vt* Scaliger & Philoſophi *queruntur,* t. 19. *Et multis* Tr. de non liquendo *deduxi*, t. 4. 5. 11. Eſſentiam rutæ, cypreſſi, leonis, canis, auri, *argenti, cupri, nemo hominum à priori expediet. Quis in divinis in ſpecialia ſe immergere auſit, quæ naturalibus longè eminentiora & abſtruſiora, in quibus intellectum humanum abſorberi neceſſum eſt?*

45. *Ne velox ſit Cor noſtrum ad ſermonem coram DEO, quia Deus in cœlis, cœleſtis & imperveſtigabilis, & nos in terris, terreni, & miſeri omnes. Itaq; verborum noſtrorum parum ſit,* Eccleſ. 5. v. 1. *Et gloria DEI eſt, celare verbum,* Prov. 25. v. 2. *Non ad ungvem omnia reſecare.* Practica *magnam partem ſunt, quæ in ſacris Deus revelavit, quæ agere, omittere, vitare, debeamus. Sed nos maximam partem* theoretica *inquiſivimus, quid, quale, quantum, quotuplex ſit aut non ſit. Nemo quis Pater aut filius ſit, novit, niſi cui filius revelârit,* Luc. 10. v. 22. *Extra hanc revelationem ergò de Patre aut Filio nil ſentiendum vel dicendum. Arcana Cœli mirari oportet, non rimari. Arcana Naturæ rimamur interdùm, non aſſequimur,* t. 44. *Optimè* Auguſtinus C. 32. Solilo. Soli tibi, ô Trinitas, integrè nota es, *Trinitas ſuperincomprehenſibilis, ſuperessentialiter exſuperans omnem ſenſum, rationem, intellectum, omnem eſſentiam ſupercœleſtium animorum, quam nec dicere, nec cogitare, intelligere, cognoſcere, poſſibile eſt, etiam oculis angelorum.* Idem alibi: *Quæ comprehendere non valemus, & tamen putantes nobis prodeſſe, ſi ſciamus, diſcamus non obeſſe, ſi neſciamus, Vt pleniùs* alibi *deducitur.*

Similia

Similia Recentiores *habent*. Mysteria divinitatis *rectiùs adoraverimus, quàm vestigaverimus. Imò sine magno periculo tentari non possunt, quod non rarò sancti etiam Viri sunt experti. Et carne filium DEus induit, ut à contemplatione Majestatis suæ ad carnis, adeoq́; fragilitatis nostræ, contemplationem invitaret, ait* Melanchton in hypoty. Loc. Com. An. 1521. *edita, Vt pluribus locum* L. 1. de fid. Chr. C. 3. *allegabo*. Quò *Christianæ fidei de inenarrabili hoc mysterio, Trin. Confessio simplicior, eò ab hæreticorum insultibus futura tutior. Magna sapientiæ Christianæ pars est, æquo animo ignorare velle, quæ in verbo suo DEus non revelavit, & in æternam Academiam differri voluit, ait* Mentzerus T. 7. Gies. d. 4. *Similia ex eo* Tr. d. non liqv. t. 9. *allegavi*. Idem *missis contentionibus Metaphysicis satius, tutius, fas, æqvum, religioni convenientius & aptius, & conscientiis svavius ait, ad fontem divinæ revelationis properare, & ex eo ostendere, Deum unum esse, & quis ille unus Deus sit, cont.* Apolog. Lud. Crocii, d. 1. *Vt de* Multipræs. t. 5. & Iren. def. p. 3. t. 7. *citavi, & uberiùs alibi* de fid. Chr. L. 2. C. 8. *citabo*. *Apud* Gerhardum in aphor. pract. *Voce, DEus, eadem vide*. Scriptura *unicè hic audienda. Cum illâ, ut in omnibus aliis, ita & in hoc mysterio, loquendum tacendumq́; ait* Joh. Crocius in C. 3. Ephes. p. 2. n. 5. *Seriò Orthodoxi monent, ne extra Verbum revelatum de mysterio Trinitatis disputemus, quòd Adversarij semper occasionem excipiendi habituri sint, ait* Meisnerus p. 1. Ph. sob. s. 4. C. 9. q. 2. *Sobriè de hoc mysterio loquendum, nihilq́; extra Scripturas, ait* Botsaccus L. 2. AntiCrel. s. 3. C. 1. *Vtinam occupetur in praxi, quod benè suadetur in theoriâ! Longè tutius est, in eâ, quam* Augustinus *tradit, relatione subsistere, quàm subtiliùs penetrando ad sublime mysterium, per multas evanidas speculationes*

tiones evagari, *ait* Calvinus l. 1. Instit. C. 13. t. 19. *Et* t. 20. *sobriè hic multaq; cum moderatione Philosophandum ait*, *adhibita etiam multâ cautione*, *ne aut cogitatio aut lingva ultrà procedat*, *quàm verbi DEI fines se protendunt. Pluraq; elegantia* t. 21. *subnectit.* Chamier, *Relationes quidem ipsas habemus in divinis literis. His contenti nihil aliud investigare didicimus*, *ait*; & Athanas. ad Serapion. *allegat*, T. 1. L. 9. C. 10. t. 21. *Similia ap.* Zanchium L. 1. de trib. Eloh. C. 1. J. Martini d. 12. & 13. d. princ. fidei, t. 24. *habes.* D. 12. t. 25. *Quicquid de Trinitate discere licet*, *ex solo DEI verbo discere nos oportere ait*, moduloq; divinæ patefactionis acquiescere teneri, cum τὸ ὅτι quidem revelatum, τὸ διότι autem ipsis angelis incomprehensibile sit. Conrad. Graserus in C. 9 Dan. p. 159 *Veterem Ecclesiam Israëliticam mysterium Trinitatis rectiùs intellexisse*, *& sanctiùs tractasse ait*, *quàm Ecclesiam gentium unquam. Sed nec* crudis illis Trinitatis, Personæ, hypostaseos, vocabulis *usam esse*, *& per id etiam indecoris istis certaminibus*, *quæ in Ecclesiâ illa excluserunt*, *caruisse*, *nec tàm temerariam unqvam fuisse*, *Vt profundum istud mysterium curiositatis censuræ subjiceret. DEI revelata potiùs religiosè observanda*, *quàm humanæ disputationi permittenda esse. Pleniùs locum* L. 2. c. l. C. 8. t. 7. *adducam. Vide & quæ* Chemnitius L. C. d. Trinit. *habet.*

45. *Ad fidem Christianam satis est*, *Credere unum DEum Patrem*, *Creatorē omnium*, *à quo omnia*, *Et unum Dn. Iesum Christum*, *Filium Creatoris unigenitum*, *per quem omnia*, *& unum Spiritum S. virtutem & donum Dei augustissimum*, *in quo omnia*, *& quo ut pignore ac arrhâ obsignantur fideles usq; in diem redemptionis suæ: Eaq; de DEO & Trinitate credere*, quæ Sp. S. suis verbis & phrasibus in Scripturâ expressit, *etiamsi nullus*

nullus terminorum humanorum tandem adhibeatur, Cum fides omnibus istis terminis prior sit. Vltra Scripturæ terminos hic tutò progredi non licet: Si fiat, difficulter egredi licet, sed intellectum absorberi oportet, & Adversarius perpetuum disceptandi campum apertum habet. Hæc Trinitas à DEO Patre accepta, à Christo præscripta, ab Apostolis prædicata, à priscâ Apostolicâ Ecclesiâ recepta & defensa, Apostolorum & proximorum post Apostolos Patrum, Ignatii, Polycarpi, Justini Martyris, tempore obtinuit, ad quam tutissimè hodiernam fidem redigemus. Reliqua sequentibus seculis adjecta de essentiâ, personâ, supposito, eodem numero & diverso, relationibus, oppositionibus, varia Philosophica, Metaphysica, & Scholastica, implicant, Quæ nec omnes fideles sciunt, nec capiunt, nec ad ipsam fidem requiri debent, quæ sufficienter in Scripturis sine istis terminis proponitur. Simplices fideles talibus terminis implicari possunt, non semper ædificari, & disceptata non finiuntur, sed in infinitum extenduntur, & semper aliquid in rebus ita Philosophicè & minutìm appensis supermanet, quod reponatur. Imò f. dicantur f. non dicantur, sive dici debeant, f. dici nequeant tres personæ in unâ essentiâ, nihil hoc ad fidem nostram. Calovius in parasc. c. Crell: p. 5. 14. seq. ait, Vt L. 1. c. l. C. 3. t. 14. adducam. Conf. t. 19. Sine Metaphysicis rebus frustra hæc inquiruntur, quæ nunquam sine illis satis expediuntur. Illarum autem quotusquisq; Christianorum sat gnarus est?

46. Tres sunt divini illi & cœlestes testantes in Cœlis, Pater, Verbum, & Sp. S. & hi tres vel in unum testimonium, V. t. 32. Vel etiam mysticum, admirabile, ac ineffabile coëunt, 1. Joh. 5. Cujus modum mirari, non rimari debemus, & hic credere, ut ad beatum videre in Cœlis aliquando admittamur, non nimis curiosè inquirere, ne beatâ visione excidamus. Dionysius

Romanus

Romanus *tres illos uniri & coalescere in unum Deum admirabili & divinâ unitate dixit. Sed in ænigmate hic videmus, ibi de facie*, 1. Cor. 12. Itaq; in necessariis quiescendum, in non necessariis non nimis diffluendum, & aliquid in cœlestem Academiam differendū est. *Qui piscatoriâ Apostolorum simplicitate hic contentus esse renuit, in futurâ vitâ Deum de facie non videbit. Qui nimis curiosè arcana Cœli indagat, quæ DEus velata esse voluit, ut ad aspicere in Cœlis etiam aliquid reservaretur, peccat, & hæresi vicinus est. Ambitione enim præsumit investigare, quod Deus voluit occultare, & ad futuram vitam reservare. Nec Nos omnia Cœli arcana perscrutari jussi sumus, nec si penetrare nequeamus, damnationis rei esse cogimur.*

Unus est Deus, Jehova Pater, Joh. 17. 1. Cor. 8. *Sed ab illo est Iehova filius, qui à Patre exivit*, Joh. 8. v. 42. *Et* C. 16. v. 28. *Et Sp. S. qui à Patre procedit*, Joh. 15. *Deus de & à Deo & lumen de & à lumine, Vnum cum DEO Patre, ut divinæ processiones.* Sed Pater *est inoriginatus, independens, & à seipso existens ille in DEO, qui à nullo alio, sed ab ipso omnia in Cœlo & in terrâ, etiam ipse Filius & Sp. S.* Joh. 5. 10. 14. 15. 16. *E à quo origo ac processus horum est*: Filius *à DEO Patre secundus, genitura & sapientia Patris, originatus, dependens, generatus, subordinatus*: Sp. S. *à Patre tertius, Virtus Patris & Filij à Patre per filium missa, ab utroq; ortus, originatus, spiratus, procedens.* Solus Pater *inoriginatus & absolutè à seipso est ac specialiter in sacris repræsentatur ut DEus*, c. 34. 47. *Filius DEus, sed de & à DEO, lumen, sed de lumine, Iehova, sed à Iehova. Super omnia est, excepto eo, qui subjecit illi omnia*, 1. Cor 15. *Et cui ipse Filius tandem subjectus erit, ut DEus omnia in omnibus sit*, C. l. v. 27. 28. V. c. 26. *Spiritus DEUS, sed à*

DE(

DEO Patre, quem ille misit in corda fidelium, t. 38. Hæc Trinitas ab uno procedit, Patre, & in unum admirabile coit, ipsum DEum Patrem, quia ejus, in eo, & ab eo filius & Sp. Dei sunt, ut Deus tandem omnia in omnibus sit. Ex uno ante secula prodeunt, sub uno subsistunt, in unum redeunt, & per omnia secula manebunt. Specialia in multis latent, & in æterna vitâ demùm patent. Qui in Deum & Christum ejus sincerè hic crediderit, in futuro seculo admirabile illud unum ac trinum de facie videbit, & in eo plenum gaudium possidebit. Qui id non fecerit, frustra in infinitis quæstionibus se volutaverit. Ad mentem & sensum Apostolorum tota hæc res tutissimè revocatur, inq; eo acquiescitur. Scriptura ad salutem nos σοφίσαι debet, 2. Tim. 3. v. 14. In quo pro hac vitâ satis nos habemus.

47. Vocabulum DEus duobus modis in sacris repræsentari deprehenditur. 1. Vt absolutè primum, inoriginatum, & à nullo alio esse habens, à se ipso ita subsistens notet, ut prorsùs originem essendi aliundè non agnoscat, omnia à se & ex se habeat, inoriginatum, & origo ac principium absolutè omnium eorum sit, quæ in cœlo & in terrâ sunt, etiam ipsius filii & Spiritus S. Hoc modo & sensu vocem Dei sumendo Deus solus Pater est, qui emphaticè, passìm, constanter, & perpetuò in N. T. ita vocatur, Joh. 17. 1. Cor. 8. Ephes. 1. 3. 4. Apoc. 1. v. 6. Et in omnibus fermè Novi Testam. libris: Ne semel autem toto N. T. ὁ Deus expresso textu ad Patrem, Filium, & Sp. S. simùl determinatur, Cum unus Deus appellatur, Vt ista tria unum illum Deum esse dicatur, sed ad priorem sensum in voce Dei à Sp. S. intendi palàm sit: In V. T. Vnus est altissimus, Creator omnium, Siracides ait C. 1. v. 8. Et alibi: 2. Vt proximè ex & ab illo primo originatum, derivatum, deductum, ortum illi debens, etiam summum Ens, sed ortum & derivatum, proxima

velut summi illius subsistentis propago, & emanatio. Vt Vetere. dixerunt, genitura & spiratura ejus, in esse, nomine, authoritate, opere, attributis, & cultu Patri par, hoc modo De vocem sumendo DEus etiam Filius & Spiritus DEI est *Vterq; verus, magnus, & benedictus in secula DEus est, sed de* & sub DEO Patre, à *quo sunt, & sine quo non fuerunt. Si filius aliquid divini, aliquid naturæ divinæ* à Melanchtone *vocatur* L. C. f. 8. Et 10. *Filius & Spiritus in DEum Patrem vicissim redeunt, quia ejus, ab eo, & in ac sub eo sunt, & ex eodem prodeunt. Sic tria ex uno & in unum sunt, t.* 46. DEus *cum suis processionibus spectatus est Pater, Filius, & Sp. S.* In suà origine, *principio, & radice, unde omnia in Cœlo & in terrâ, etiam ipse filius & Sp. S. est Pater ille Dn. nostri IEsu Christ.* DEus ut Spiritus inoriginatus *est Solus Pater:* Vt Spiritus increatus, *omnipotens, est Pat. Fil. & Sp. S.* Vt Sp. independens, *partim solus Pater, partim P. F. & Sp. S simùl est, prout terminum independentis latiùs aut strictiùs accipias,* t. 39. *Vtrumq; Scriptura repræsentat, & insinuat, quod nos cognoscere, venerari, Deoq; gratias agere oportet, non enim cognitionem talem caro & sangvis revelare potuit,* Matth. 26 v. 17. *Non autem cogitatis in infinitum diffundi, tandemq; evanescere debemus. Per hoc* Photiniano *satisfieri, Per id* Arianus *de statione turbari, &* Tritheita *sententiâ moveri potest Proprietates in personis ordinem secum ferunt, Vt in Patre sit principium & origo. Inde quoties mentio fit Patris & filii simul Vel Spiritus, nomen DEI peculiariter Patri tribuitur, ait* Calvinus L. 1. Inst. C. 13. t. 20. *Et Pater & Filius DEus est. Sed ille quasi exuberans fons est, hic tanquam defluens ex eo rivus ille tanquam Sol, hic tanquam radius ex sole porrectus, ait* Lactantius L. 4. C. 29. *Deus, qui à nullo alio, DEus sine DEO*
sol in

solus Pater est: DEus de DEO etiam Filius & Spiritus DEI est.

48. *DEus est caritas*, 1. Joh. 4. v. 16. *Lux*, 1. Joh. 1. v. 5. *Spiritus*, Joh. 4. v. 24. In tribus his unum, sed tres considera in uno. *Caritas lucendo spirat, Lux spirando amat, Spiritus amando lucet. Hoc contemplare, admirare, venerare. Si alicubi hæres, inhibe, & intellectum sub Verbum desige ac captiva. Christus DEus essentiâ, Naturâ, eminentiâ, potentiâ, & honoris excellentiâ est*, t. 17. 18. Ordine, *numero, derivatione, originatione, & principii authoritate Patre posterior est, Pater enim causa filij, filius à causâ, Patre, non â se, Sp. S. à Patre & filio simùl, non à seipso est.*

49. Deniq; de Trinitate, *quantum ex Scripturis & Vetustissimis Patribus*, Ignatio, Irenæo, Clemente, Justino, Tertulliano, Origene, Cypriano, *& similibus primisq; tribus seculis, ad quæ fortassè tandem redigenda res fuerit, si finem habere debeat, hauriri potest; breviter sic habendum videatur. Ante omnia secula, priusquàm Deus quidquam crearet, genuit Deus Pater filium suum unigenitum, quando ipse voluit, Characterem substantiæ suæ, & imaginem Dei invisibilis*, t. 31. *Verbum primò omnium emissum, Vt* Tertullianus *vocat*, t. 20. *Per quod secula & omnia deindè condidit*, Joh. 1. Col. 1. Hebr. 1. *Et quod principium Creaturæ Dei fuit, ac primogenitus Dei antè omnem Creaturam est*, Coloss. 1. v. 15. Apoc. 3. v. 14. *Et cum isto Verbo Spiritum spiravit, Virtutem altissimi*, Luc. 1. & 24. Actor. 1. & 10. *Quæ principio Creaturæ statim aquis incubuit*, Gen. 1. v. 1. *Sub V. T. varia in Ecclesiâ peregit, novissimè in N. T. visibiliter super Apostolos effusa est*, Actor. 2. *Pignusq; & arrha fidelibus data est usq; in diem redemptionis eorum*, 2. Cor. 1. v. 22. Ephes. 1. v. 14. Cap. 4. v. 30. *Hæc Trinitas ante creaturas fuit, ex uno prodiit, & in unum coit,*

in quâ multa ἄῤῥητα sunt, & extra Verbum frustra curiosè nimis inquiruntur. Hæc hac vice de tanto mysterio. De reliquo si alius meliora aut explicatiora habeat, aut mihi occurrerint, his anteferri jure queant. Omnes enim vacillamus.

50. *Conclusionis loco illud* Justini Martyris ex Exposi. dei de Trinit. *si Liber verè ejus est, adjiciamus.* Exempl divinæ unitionis *adducto, nos ad magis piam cogitationem confugimus. Si non omninò ipsam veritatem assecuti, certè quandam ejus similitudinem, quæ piè sentientibus sufficiat.* Et illud Lactantii L. 2. C. 8. diu. Instit. Oportet in eâ re maximè, *in quâ vitæ ratio versatur, sibi quemq; confidere, suoq; judicio ac propriis sensibus niti, ad investigandam & perpendendam veritatem, quàm credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem.* Et quod alius dicit: *Melius est solam ambire veritatem, quàm errantium sequi multitudinem, & labi.* Optimum etiam illud Chemnitii est p. 2. Exam. Conc. Trid. d. Missâ, p. mihi 150. Quod & Bellarminus L. 1. d. Missâ, C. 45. *adducit ac probat,* Bonæ mentes plurimùm *moventur consensu & testimonio antiquitatis ejus potissimùm, quæ fuit* prioribus, optimis, & florentissimis Ecclesiæ temporibus.

Nota: Ad p. 20. *Voces, Hæc & similia, præpone numerum 19. Illa thesis ibi incipit, & aliàs in* Tract. *nulla est.*

GLORIA IN EXCELSIS DEO.